# AGAPETVS SCHOLASTICUS praedo factus & conuersus,

## COMOEDIA

DE RECTA INSITVTIone, & è contra, corruptela Iuuentutis, complectens pulchram illam & lepidam narrationem, de sancto IOANNE APOSTOLO, commendante cuidam Episcopo praeclarum Iuuenem apud Ephesum, quem deinde prauis sodalitijs corruptum, ad meliorem uitam reuocauit.

EX EVSEBII CAESARIENSIS *Historia Ecclesiastica, capite 22.*

AVTHORE HEINRICO Knaust Iurisconsulto.

ARGENTORATI EX OFFICINA *Pauli Machæropœi. Anno M. D. LXII.*

Samuel Petri Vekemans



# PAVLVS KOLTZENIus à Demmin, Pomeranus.

HOc quicunq; legis sacratum Carmine Drama,
Sit iudex Candor, liuor abeße uelit.
Nam doctos Candor decet. Atq; laboribus esse
AEquos confratrum, iustitia ipsa monet.



# REVEREN DISSIMO IN CHRI- sto Principi ac Domino, Domino Michaëli, Episcopo Mersburgensi, & Con- sistorij Imperialis Cameræ Iudici incorruptis- simo, Domino gratioso suo.



EGO, QVIDEM, REVEREN dissime Præsul & Iudex Cameræ Imperialis incorruptissime, existimo nulli hominum ordini, tutius ac melius elocare operas suas literarum studiosos posse, quàm ipsis doctis, & ijs præsertim, qui authoritate literis exornata ualent. Hi namq; & literas & ipsos literatos amant, libenterq; in suum patrocinium suscipiunt. Facit itaq; me in hoc proposito, non tam audaciorem quàm certiorem, quod tua Celsitudo non solum in omnibus literis cum summo iudicio uersata sit, sed & prudentiam raram excellenti doctrinæ ita coniunxerit, ut non minus de rebus arduissimis & Theologicis, quàm forensibus causis, sententiam exactè ferre fœliciterq; pronunciare sciat. Deinde, quod inter tot egregia decora, quibus undiq; clarus & suspiciendus, primò quidem præsulatus tui Mersburgensis culmen adijsti, ex

interuallo autem post, & ad præturæ Imperialis Cameræ fastigium ascendisti, seu potius uirtute tua promouisti, iamq; in ipsis pulcherrimis simul & sanctissimis munerũ functionibus; cum tot præclaris factis, tot eximijs ornamentis, susceptos honores uicißim cohonestas. Hoc insuper etiam ad egregiæ laudis tuæ cumulum addis, quo nihil est quod te superis pariter & mortalibus commendet efficacius, nempe quod summo studio pariq; sapientia, non tantum in dirimendis & dijudicandis certaminibus forensibus præcipua cum laude laboras, sed & illud non minore studio agis ac moliris, ut indies in melius prouehatur Christiana pietas & Religionis status, heu nimium, nescio qua temporum iniuria seu uicio labefactatus & collapsus. At res egregias, aliquoties ut difficilius, ita & pulchrius est, restituisse quàm condidisse, sicut Imperator inquit, l. 1. §. sed si quid ex his. C. de uete. iu. enucl.

His tuis uirtutibus, præsul Reuerendißime, quæ eruditionem tuam, Natiuam sapientiam & probatissimum rerum usum, propius quàm umbra corpus sequuntur, fretus, hoc quicquid est operæ, R. C. T. dedicare non sum ueritus, sperans R. T. C. id æquo ac clementi animo accepturam esse. Cui enim rectius dedicaretur tam illustre Exemplum Apostolici & optimi Pastoris, reuocantis ouem perditam, & increpantis Pastorem non satis uigilem & industrium circa ani-

marum

narum sibi commissarum curam, quam illi, in cuius Pastoratum & praeeminentiam totius Reipub. Christianae oculi intenti & defixi sunt, ut aliquando sua authoritate & doctrina labascenti Religioni opem ferat, quo extinctis sectis, schismatis, dissidijs, ac seditionibus, in unitatem pacemq; Ecclesia Dei Catholica tandem iterum congressa, unanimiter & uno ore Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi glorificet laudetq;. Quae res, tametsi, hac nostra aetate multis uideatur eiusmodi esse, ut fieri haud queat, attamen constat, id quod est coram hominibus impossibile, non esse impossibile coram Deo, qui uult omnes homines saluos fieri.

Praeterea & peculiaris quaedam me caussa mouit, quare hanc meam qualemcunq; Comoediam R. T. C. dedicare uoluerim, nempe, ut ingenium multis grauibus & serijs operis ac laboribus, quibus te quotidie negotiorum procellae obruunt, defatigatum, quasi hac hilariore materia recreares. Tristitia enim quae ob praesentis uitae calamitates, miserias & labores, nos non raro totos occupat, ac incurabiles saepenumero morbos conciliat & parit, his & similibus, licet non per omnia doctissimis materijs, excuti aliquo modo potest, sicut festiuus sermo ac hilaris inductus, discutit omnem tristitiam in Conuiuio. Quemadmodum Homerus finxit de Helena, immittente pharmacum in

conuiuarum Cyathos, quod omnium anteactorum induceret obliuionem. Homeri uersus sunt tales.

Αὐτίκ' ἄρ εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Latine sic.

In uinum misit mox pharmacon, unde biberunt
Luctusq; bilisq; maliq; obliuia cuncti.

Erunt, non dubito, aliqui torui, qui Curios simulant & Bacchanalia uiuunt, qui me reprehendent, quod scripta iocosa edam, non animaduertentes, quod iocosa hæc, seria ducant. Hi & Aristotelem accusabunt, ni fallor, qui inter uirtutes numerat εὐτραπελίαν, cum Paulus ad Ephesios scribens, eam inter uicia recenseat. Sed ignorant hi, quod moderatio in usu figurarum seu iocorum, uirtus ab Aristotele nominatur, qui quidem & prudenter eam à stoliditate seu insulsitate, & à scurrilitate discernit. Moderatio enim in omnibus rebus intelligitur uirtus. Sed forte uolunt Curij illi, seu potius Heracliti, hominem statuæ similem ac perpetuo tristem & durum esse. Delectati sunt Comitate, lepore & iocis, ut naturam iuuarent, summi uiri, Socrates, Diogenes, Philippus Macedo, Iulius Cæsar, Octauius Augustus, & Marcus Cicero, qui diligenter P. Terentij Comœdias legit, & subinde illius aliquot uersus citare solitus fuit. Ipse etiam, quanquam alio-

quam à qui tristior Cato, non omnino à iocis abhorru: Sed tamen ea omnia, sine leuitate, sine futilitate, & sine scurrilitate (eam græci βωμολοχίαν appellant) quam in hoc tenui scripto meo, spero, non depræhendent. Dedi operam, ut iuxta Horatij ad Pisones præscriptum, utilibus iucunda miscerem. Inquit enim.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ,
Aut simul & iucunda & idonea dicere uitæ. Idem.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterq; monendo.

Nec puto quenquam bonum & doctum uirum id mihi uitio uersurum esse. At obijciet Nasutus aliquis Terentianum illud. Sed nunc hæc dies, aliam uitam adfert, alios mores postulat. Quasi uero absq; exemplis multorum grauium & excellentium uirorum, in his iucundioribus studijs, aliquando cum per ocium licet, uersemur. Scripsit superiori sæculo Ioannes Reuchlin siue Capnion, uir in literis politioribus & linguis maximus, Celebris & excellens Iuris Doctor, Comœdias & alia iucunda. Idem Latinè & Germanicè fecit Doctor Sebastianus Brant Iurisperitus, uterque Imperatoris Maximiliani Senator, seu consiliarius. Extant quoque Theologorum, tam uetustiorum quàm recentium, non adspernanda in hoc genere monimenta. Ex his leguntur, Cornelij Croci Theologi,

Iosephus Guilhelmi Gnaphei, Acolastus Iabi Schoepperi Presbyteri, Abrahamus Tentatus, doctiorum, grauißimorumq; hominum Comoediæ, Actiones æternitate dignæ, ut alios magnos uiros præteream, inter quos est Alciatus Iurisconsultißimus, qui Emblemata iucundißima, animi gratia scripsit, seu potius, cum poëta esset, lusit. Peto autem à candidis, siue lectoribus, siue spectatoribus, ne morosius iudicent, ac ut condonent, si quid forte desiderant.

Te autẽ Reuerendißime Princeps ac Domine oro, ut R.C.T. hoc meum studium boni consulat, & munusculum exiguum animo prompto accipiat. Quod si intellexero, magna me uoluptate affectum, & præmium debitum laborum consecutum esse existimabo. Sed ne, si R.C.T. iugi solicitudine summo Romani Imperij Iudicio præsidentem, longiore sermone remorans, in publica peccem commoda, quod reliquum est, cum plebeio lectore transigam, sed illud prius apprecatus, ut Coelestis Pater, qui diuino suo consilio & uoluntate, te non solum Episcopum Mersburgensem creari, sed & Iudicem, seu Prætorem Cameræ Imperialis per Germaniam inaugurari uoluit, ad suam gloriam R. C. T. quàm diutißime conseruet incolumem, suamq; diuinam uoluntatem & consilia per R. C. T. foeliciter expediat, & hæreditatem Christi filij sui

tueatur. Datum Erpfurdiæ, in antiqua illa Musarum Colonia, Anno à Virginis partu, quæ mundo Saluatorem edidit. M. D. LXI.

R. C. T.

Deditißimus ac subiectißimus

Heinricus Knaust, Iurisperitus.





Interlocutores.

| | |
|---|---|
| S. IOANNES | Apostolus. |
| Asmenus | Episcopus. |
| Agapetus | Iuuenis scholasticus. |
| Didascalus | Ludimagister. |
| Parinus | Condiscipuli Agapeti. |
| Philedonus | |
| Acharistus | |
| Aspondus | Scholastici. |
| Cletus | |
| Cosmius | |
| Niphalius | |
| Voluptas | Matronæ. |
| Virtus | |
| Emporus | Mercatores. |
| Palnicapelus | |
| Echmalotus | |
| Fama | Monstrum. |
| Lista | Milites latrones. |
| Anemerus | |
| Anosius | |
| Philargirus | |
| Didus | Episcopi minister. |

# ARGVMENTVM SIue Periocha. Senarij.

ECclesias dum uisitat apud Ephesum
Apostolus Iohannes, fortè Iuuenem uidet
Facie honesta, quem ad se inuitat, et Episcopo
Commendat. Ille præceptoribus suis
Et Episcopo inobediens factus, fugit scholas,
Ac aliquot seductis condiscipulis suis,
Voluptatem sequitur, Virtutem spernit, &
Manipulo conducto latronum perdito,
Montem conscendit cum socijs, & exuit
Mercatores uita simul & opibus. Dein
Hæc latrocinia nunciat fama omnibus.
Apostolus reuersus fortè ad Episcopum,
Rogat, quid adoptatiuus faciat filius.
Respondet ille, Adolescentem esse mortuum.
Quærit statim de mortis genere Apostolus.
Resciscens tandem latrocinia ipsius, &
Rapinis infamem quem montem perditis
Cum socijs coleret, ipsum aggreditur strenuè
Intrepidus, diuina confisus ope, Dei
Vir, & paterna uoce reuocat à uijs
Ducentibus ad mortem. Conuersus, ad animum
Redit tandem ille, & placidè se Apostoli
Pedibus aduoluit ac monitis par[illegible]t pijs,
Lupoq; ex inmani, fit ouis mitißima,

Cumq;

Cumq; suis, quos seduxerat, ad Dominum Deum
Conuertitur, & Apostoli dij patris
Vestigia sequitur. fugiunt latrunculi
Reliqui, pia spernentes monita sanctißimi
Fauete & hæc porrò æquo animo cognoscite.

# Prologus.

DEscripsit Eusebius Cæsariensis, suæ
Ecclesiasticæ Narrationis &
Historiæ, capite, ni fallor, uicesimo
Secundo, bellam fabulam & non fabulam,
(Sic namq; loquitur ipse) qua iuuenem nimis
Blanda institutione ac indulgentia
Deprauatum, latrocinia tandem aggredi
Ausum, atq; ab Apostolo Dei Ioanne in uiam
Reuocatum & conuersum, commemorat dulcibus
Pijsq; & grauibus uerbis. Inde sumpsimus,
Spectator, argumentum huius Comœdiæ.
Non deerunt qui calumnientur, perperam
Factum, huc quod operam nostram collocauimus.
Quasi non sit satis in sacratis literis
Forte Historiarum, unde argumenta suppetant.
Orationis atq; styli genus, alius
Repræhendet, alius aliud culpabit scio.
Sed quid tum postea? Nemo unus omnibus

*Placere unquam potuit. Arrisit hoc mihi*
*Potißimum argumentum è sexcentis. Suus*
*Cuiq; mos est. Tot sensus quot capita sunt.*
*Trahit sua quemq; uoluptas. Quare te precor*
*Spectator candide, ut faueas huic meo*
*Labori & quam tibi exhibeo Comœdiæ.*
*Si uidero placuisse tibi studium hoc meum,*
*Deinceps fortè & alia dabo, diligentia*
*Maiore elucubrata. Nunc hæc interim*
*Boni consulite, & æqui estote iudices*
*Vos spectatores optimi, dico optimi,*
*Quia bonis hic loquor, necnon & candidis,*
*Nigros parum aut nihil curamus, perfidam*
*Turbam, qui cum boni non sint, dic quomodo*
*Poßint benedicere? Silete, en prodit suo*
*Ioannes, quem ordinauerat, cum Episcopo.*

# ACTVS I. SCENA I.

Senarij.

S. IOANNES APOSTOLVS, ASMEnus Episcopus, Agapetus Iuuenis.

Hoc præceptum commendo tibi, secundum ea
Quæ dicta sunt ante hac, ut milites bonam
Militiam, habens fidem atq; conscientiam
Bonam. Oportet enim esse Episcopum sine crimine,
Vt dispensatorem Dei, unius uirum
Vxoris, non superbum, non inconditum,
Aut luxu perditum, nec iracundiæ
Vitio laborantem, aut percussorem impium.
Non turpis lucri cupidum. Ast hospitalem eum
Decet esse, benignum, iustum, nec non sobrium,
Prudentem, sanctum, continentem, prouidum,
Suæ qui benè præsit domui & frugaliter,
Habentem filios castos & subditos.
Nam qui domui suæ nescit præesse, quo
Modo ille Ecclesiæ Dei solertiam
Præstabit debitam? Amplectatur insuper
Doctrinam, quæ secundum fidelem Dei
Sermonem est, ut potens sit exhortari, eos
Etiam qui contradicunt, arguere in fide
Et doctrina sana. Tu igitur in gratia

*Nunc confortare, quæ est in Christo Iesu. Ea*
*Quoq; quæ audiuisti à me per testes plurimos,*
*Fac commendes fidelibus hominibus, qui erunt*
*Idonei ut alios doceant, sicut bonus*
*Miles Christi. Nam & qui certat in agone, non*
*Coronabitur is, nisi strenuè certauerit.*
*Sed heus fili, accede propius, bonæ indolis* — Ad Agap
*Esse uideris ex facie. Cuias es tu, & quibus*
*Natus parentibus? fili dic ut sciam.*

AGAPETVS.

*Corinthus patria est mihi: parentibus*
*Vero orbatus nuper, miser dego Orphanus.*

S. IOANNES.

*Non Orphanus tute es, sed in cœlis patrem*
*Habes prædiuitem, qui delectatur hoc*
*Titulo, Orphanorum atq; uiduarum dicier*
*Pater. Bono sis animo, patrem & me uides*
*Tuum. Placet etenim mihi liberalitas*
*Vultus tui & modestia. Quare te in meum*
*Adopto filium. Hunc summo tibi, Episcope,*
*Studio commendo iuuenem, tam ingenio bonum*
*Animoq; acrem, quam forma corporis sui*
*Elegantem & uultu honestum. Hunc commendo tibi*
*(Inquam) sub testimonio Christi mei &*
*Totius Ecclesiæ. Tu sedulò uideris*

Ne perdas filium mihi & animam tui
Fratris. Namq; à teneris multum est adsuescere.

ASMENVS.

Recipio eum lubens pater, nec commodi
In me quicquam claudetur ei. Dabo sedulo
Operam, nihil prætermittam omnibus modis,
Salutaribus ut præceptis tener animus
Formetur in pia doctrina Ecclesiæ
Christi, atq; humano generi utilibus artibus
Consuefaciam eum summa diligentia
Fideq;, ad uirtutem atq; exercitia pia.
Iubebo deniq; inspicere, tanquam in aliquod
Speculum, uitas hominum, atq; ex alijs sumere.
Exemplum sibi. facito hoc, fugito illud. Hoc tibi
Laudi est, hoc uitio datur. Ad hunc ego modum
Præceptis animum illius, si placet, instruam.

S. IOANNES.

Recte dixti & probißimè, sed rectius
Facies, si quod uerbis magnificè iactitas,
Re potius ipsa effectum reddas, Strenuus
Fac sis animæ fratris custos, non proditor.
Eris autem proditor, si per negligentiam
Cessaueris uspiam. Vdum & molle lutum est puer,
Nunc nunc properandus & acri fingendus sine
Fine rota. Porrò, ut quisq; suum uult esse, ita est.

Fac stes

Fac stes promissis, non leue est quod postulo.
De fratris & tua ipsius agitur anima.
Promittis te dignam fidem & sedulam operam,
In facie Christi & sanctæ Ecclesiæ ipsius?

ASMENVS.

Promitto Pater sanctissime, si modo uelit
Obedire, & præceptis obsequi meis.

S. IOANNES.

Num nota tibi Salomonis est uox inclyta?
Qui parcit uirgis, odit filium suum.
Acri dixi formandum esse rota. Cerei
Sunt in uitium flecti iuuenes, & asperi
Monitoribus suis. Sed hic est cautio
Tamen, ne dum formare incipias strenuè,
Iuuenis tenerum auertas animum. Pudore namque
Et liberalitate retinere satius
Est liberos, metu quàm, aut uirgis cogere.
Et errat longè, mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud quod amicitia adiungitur.
Verum ne sit inepta lenitas & facilitas
Praua, ipse uideris. Modus est in omnibus
Rebus, certiq; porrò fines, quos citra
Vltraq; nequit consistere rectum. Sit tibi
Cautio, ne mihi corrumpi illum sinas. Puer

Et tu audi præceptorem, nec recalcitra.
Obtempera pijs monitis, teq; indole
Tua ut dignum est, et maximam concepi apud
Animum de uirtute tua spem, quo poßit in
Te spiritus Dei habitaculum parare, fac
Modestus, humilis, temperans, & acer in
Studijs pietatis uiuas, ut templum Dei
Sis ipse, & læta de te, cum reuersus huc
Fuero, audiam. Nec enim leue est, quod spiritus
Sanctus mihi de te dictitat, præsagit &
Mens sollicita. Promittis obedientiam
Fidemq; Christo, mihi Patri, atq; Episcopo?

AGAPETVS.

Promitto sedulò, pater sanctißime.

ASMENVS.

Et ego quantum in me fidei, & diligentiæ.

S. IOANNES.

Res magna est recta puerorum educatio.
Valete. Pax Christi atq; eius benedictio
Sit uobiscum, & uestros conatus dirigat,
Totamq; Ecclesiam hanc dignetur spiritu
Suo clemens regere, & conseruare in fide,
Et charitate mutua, sicut decet.

## ACTVS I. SCENA II.

Senarij.

ASMENVS, AGAPETVS, Didascalus.

Salue Didascale, Magister doctißime,
Simul atq; uos pueri, angelica turba, optimi.
Adesdum, Habeo tecum quod paucis colloquar.
Commendauit adolescentem hunc mihi Apostolus
Ioannes studiosißimè. Eum porrò tuæ
Nunc diligentiæ commendo, ab Apostolo ut
Est commendatus mihi. Tu uerò ſi ceris,
Ne quicquam, quod iam ad disciplinam pertinet,
Et institutionem rectam, in te mihi
Desideretur. Nam non modò nobis, sed &
Christo Domino, uobis reddenda ratio erit,
De pædagogia uestra. Non est leue
Quod sustinetis munus, sed uerè arduum.

DIDASCALVS.

Reuerende in Christo Pater, & Domine, muneris
Mei me cogit ratio, ne me subtraham
Oneri, quod in recipiendo hoc, imponitur.
Lubens igitur hunc recipio adolescentulum,
Et si uolet obedire præceptis meis,

*Non pœnitebit me operæ & diligentiæ,*
*In qua nihil desiderabitur, modò*
*Se attentum, sedulum, docilemq́; præbeat.*
*Quid ais adolescens, promittis tuum mihi*
*In discendo studium, in fingendis moribus*
*Obedientiam? Quid respondes mihi?*

AGAPETVS.

*Faciam quod ingenuum bonumq́; condecet*
*Adolescentem, mores regendo, & literas*
*Discendo, ne quid de me conqueri queas.*

DIDASCALVS.

*Honesta est Oratio. fac quod profers, & hunc*
*Præceptorem fidum, tuiq́; amantem habe.*

ASMENVS.

*Suo ergo muneri uterq́; satisfaciat probè.*
*Tibi hunc Magister commendo totum: Deo*
*Et Apostolo rationem reddes & mihi.*

DIDASCALVS.

*Reuerende Episcope, in me quantum est, sedulò*
*Faciam, ut rectè formetur, sicut me decet.*
*Adolescens bone, quod est cedo nomen tibi?*

AGAPETVS.

*Agapeto nomen à parentibus inditum est.*

*Didasca=*

DIDASCALVS.

Benè est. faustum sanè & pulchrum sortitus es
Nomen, quippe hoc Græcis dilectum denotat.
Summo igitur opere, Agapete, tibi annitendum erit,
Vt expectationi nominis adeo
Boni, uirili pro tua, respondeas.
Nempe, ob literas dilectus ut sis omnibus.

AGAPETVS.

Equidem pro uiribus sedulò operam dabo,
Inq; hoc mihi adiutorem te spero fore.

DIDASCALVS.

Sed & ipsa corporis tui facies mihi
Animum subesse ostendit, qui haud abhorreat
A Musis literisq; bonis, adeo ut queat
De te dici demum illud, quod uulgò ferunt,
In corpore pulchro, est uirtus ueniens gratior.
Sed alium eiusdem uatis uersiculum caue,
Fastus quod inest pulchris, sequiturq; superbia
Formam. Nil pestilentius scholastico,
Philautia, qua ingenia multa pessum eunt.

AGAPETVS.

Dabo operam, præceptor, frugi ut sim & diligens.

# ACTVS II. SCENA I.

Senarij.

DIDASCALVS, ASPONDVS.

DIDASCALVS.

HEus furcifer heus heus, raucesco clamoribus
Iam dudum, nec tamen adhuc expergisceris.
Videris dormiendo uel cum gliribus
Certare posse. Aut ocius surge, aut ego
Tibi uirga somnum excutiam. Non te pudet,
( Vah somnium hominis ) multam in lucem stertere?
Frugi qui sunt famuli, aut discipuli commodi,
Solent exortum Solis anteuertere,
Studijsq; dare operam, Aurora quibus commoda
Et amica, maximeq; est apta. Num uenis?
Vt ægrè à lecto cuculus diuellitur?
Caput dum scalpit, dum neruos distendit, &
Dum oscitat, abit integra hora. Venis tandē improbe?

ASPONDVS.

Vix dum diluxit, parce Magister optime.

DIDASCALVS.

Credo tibi. Nam tuis oculis multa est adhuc
Nox. Accede propius, audin', paucis te uolo?

ASPONDVS.

*Dictum puta, nempe, ut ego lectionibus*
*Maturè interſim, ne quid ceſſem, Hoc ſcilicet.*

DIDASCALVS.

*Imo aliud. Admoue te huc, iam faxo ſcies.*
*Quid hoc tibi placet? Et uirgis pœnas dabis.*

ASPONDVS.

*Quantus plagiarius.* DIDAS. *Quid ais ceſſator, aut*
*Quid murmuras nequã?* ASP. *Nihil, rectè omnia.*

DIDASCALVS.

*Nunquid ego murmurantem te nebulo audio?*

ASPONDVS.

*Equidẽ precor.* DIDAS. *Credo ſanè, ut deuotio eſt,*
*Pater noſter peruerſum. Sed ne feceris*
*Temerè, de natibus ludetur tuis. Caue.*
*Ad lectionem, uerbero, ſequere me.* ASPON. *Sequor.*

## ACTVS. II. SCENA. II.

### Senarij.

AGAPETVS, PARINVS.

AGAPETVS.

*Cur adeo Parine curris, bone commilito?*

PARINVS.

*Cur, ut dicunt uulgo, lepus pro carnibus?*

AGAPETVS.

Quid hoc prouerbij est? AEnigmata loqueris.

PARINVS.

Quia nisi adfuero in tempore, ante catalogum
Recitatum, actum est de pelle mea. AGAPETVS.
Hac quidem nihil
Periculi est, modò præterita est sexta. Horologium
Inspice, manus nondum attigit punctum, quod ab
Hora æquis spacijs horam dirimit. PARINVS.
Ast ego
Vix habeo fidem horologijs, mentiuntur haud
Rarò. AGA. At mihi fide, qui campanæ his auribus
Vocem audiui. PARIN. Quid dictitabat? AGA.
Esse iam
Sextam. PARIN. Sed est & aliud, unde magis mihi
Etiam timeam. Reddenda hesterna est lectio
Memoriter, Vereor ut poßim. Væ, uæ mihi.

AGAPETVS.

Commune periculum narras. Nam & ipse uix
Satis teneo. PARIN. Et nosti, mi uir, sæuiciam
Præceptoris. Capitalis omnis est ei
Noxa, & sanè magis non parcit clunibus
Nostris, quàm si corium esset fortasse bubulum.

AGAPETVS.

Verum is non aderit in ludo. PARIN. Vicarium
Igitur quem constituit sodes? AGAPE. Cornelium.
PARIN. Strabum illum? Væ nunc uæ nostris nā-
Orbilio plagosior. AGA. Verum refers, (tibus Is est
Et ideo non raro precatus sum illius
Brachio paralysim. PAR. Ego idem feci uel millies.

AGAPETVS.

Res non agitur de capite, sed de parte, quæ
Diuersa est. PARIN. Non agitur quidem. Verum
Libentius uelim, quàm uirgas perpeti. (mori

AGAPETVS.

Non tecum sentio. Si mortuus semel
Fueris, non tunc reuiuisces. At uerbera &
Vibices uirgarum, momentanea mala
Sunt, cum dolore pariter expirantia.
Forti ergo sis animo, nec cures uerbera,
Sicut ego floccipendi ea semper. Dicere
Sum solitus, quoties uirgis cædor maximè.
Hienweg ist der schmertze/
Frölich ist mein hertze.
Idem quoq; tu facias. Sodalis ero tibi
In pœnis, si tu fortè uerberaberis.
Namq; & ego titubabo, quasi lecta nesciam.

PARINVS.

Habere in pœnis socium, dicunt gaudium
Esse. At tu potius in aurem suggere clanculum
Quæ desunt, cum recito. Sic liberaueris
Vtrumq; periculo. Ego quoq; tibi faciam idem.

AGAPETVS.

Annitar sanè sedulò, ut te liberem.
Verùm nunc tempus est, eamus ocius.

# ACTVS II. SCENA. III.

Senarij.

DIDASCALVS, NIPHALIVS, COSMIcus, Cletus, Aspondus, Philedonus, Achariſtus, Parinus, Agapetus.

DIDASCALVS.

Legere & non intelligere, negligere est, ait
Quidam & uerè. Sic multis lectionibus
Præceptorum interesse, & certi in memoria
Nihil reportare ex illis, est perdere
Tempus, bonasq; horas malè collocare. Nam
Quid prodest, si audias quod effluat statim?
Et pessimè merentur de scholasticis,
Discentium qui studia non examinant
Repetitionibus, Dicat Niphalius
Ergo. Quæ sunt amplificationis in
Rhetorica figuræ? Quod docui proximè.

Nipha-

NIPHALIVS.

*Quæ non ornandæ orationis gratia*
*Tantum, sed augendæ etiam adhibentur commodè.*

DIDASCALVS.

*Vnde oriuntur figuræ hæ?* NIPHAL. *Cum omnes Rhetorum*
*Figuræ, quas sententiarum dicimus,*
*Tum eæ potißimum, quæ orationis &*
*Styli augent filum, oriuntur ex Dialecticis*
*Locis.* DIDAS. *Rectè. Dic porrò quæ figurulæ*
*Ex Definitione nascuntur bona?*
NIPHAL. *Illæ Tropi denominantur omnibus.*
DIDAS. *Quid Expolitio est?* NIPHA. *Eandem quæ explicat*
*Sententiam, commutatis uerbis. Vt, Haud*
*Est fortitudo, sed temeritas maxima,*
*Sine honesta aliqua ratione, adire pericula.*
DIDASCA. *Probè dixti. Tu porrò Cosmi, da mihi*
*Iam Distributionis exemplum optimum.*
COSM. *Cicero. Hæc studia adolescentiam alunt, & hominis*
*Senectutem oblectant, Secundas res quoq;*
*Ornant.* DIDAS. *Quid est Dialysis?* COS. *Dissolutum eam*
*Dixere. Vt, Iudices sunt partim gratia,*
*Partim pecunia corrupti,* DIDAS. *Dic, Quid est*

*Congeries?*

Congeries? COSMI. Talis est apud Salustium, Vt.
Audax temerè animus, uarius & subdolus,
Cuiuslibet rei uerus simulator, &
Dißimulator. DIDASCA. Bellè. frugi te iudico.
Da exemplum, Asponde, Incrementi. Cessator, an
Nescis? Pollicitus sum dudum tibi malum:
Cum sterteres manè, hæc didicisse oportuit.
Rapite hominem quantum potestis, ut luat
Mihi pœnas negligentiæ. Infortunium
Hercule feres. Sic incrementi te modum
Docebo. fac sis porrò uigilantior.
Tu dic Philedone, dic, quidnam taces? Et hic
Ignorat. Explica Achariste. Mutus es?
Parine, recita tu. PARI. Cicero. Nempe facinus,
Vincire, est, ciuem Romanum, magnum scelus.
DIDAS. Porrò quid? PAR. Verberare. DIDAS.
Et uerberaberis.
Tu, nisi sequentia expeditè dixeris.
PARI. Prope parricidium. DIDAS. Quin pergis?
mutus est.
Tu Agapete dic. Quin dicis? AGA. Ego quoq; nescio.
DIDAS. Satis petulanter respondes mihi tu quidē:
Vt uos Dij perdant, quæ istæc negligentia est?
Non impunè feretis nequam peßimi.
Hoccine operam est dare literis? Ab ocio
Scholæ nomen habent, non quod uobis ocio

Dies sint

*Dies sint transigendi turpiter, sed ut*
*Hoc omne quod uobis conceditur ocij à*
*Laboribus manuum, in discendas literas*
*Id confratis. Credo conspirasse uos*
*In literarum perniciem. Et tu Agapete, quod*
*Mihi uidetur, proteruus fieri iam incipis.*
*Haud sic pollicitus es. Porrò, ne censeas*
*Licere uobis impunè contemnere*
*Literas, & spem parentum & nostram fallere,*
*Supinam excutiam uobis oscitantiam.*
*Non uolo mea uos corrumpi iudulgentia*
*Maiore cùm cura in sacris uersemini*
*Musarum in posterum. Nebulones estis &*
*Magis ocio, quàm rectis studijs dediti.*
*Non sic ad astra itur. Plurima tulit puer*
*Et multa fecit, qui nunc cantat pythia.*
*Ah non datur ad Musas lata currere uia.*
*Hæc leuis sit monitio. Si depræhendero*
*Ego uos posthac in simili negligentia,*
*Seuerior ero uindex. Oderunt mali*
*Peccare formidine pœnæ, uerum boni*
*Virtutis amore. Et uos ergo sitis boni*
*Virtutis amore, non grauis pœnæ metu*
*Repetite. Nam lecta placet lectio quidem,*
*At decies repetita, placebit demum benè.*
*A prandio pergam legere, si Dijs placet,*

# ACTVS II. SCENA IIII.

Senarij.

DIDASCALVS SOLVS.

AH quanta est pædagogorum miseria, Dij
Boni, quanta calamitas. In AEsopi apologis
Queritur apud Idolum Iouem, asinus de suis
AErumnis, quotidianis operis confici
Se & enecari. Sed querela hæc iustior
Est pædagogorum, de miserijs suis
Profectò, si reuocetur res ad calculos,
Quàm asini. Quis enim ullo in pistrino asinus per-
Tantum mali, quantum mediocris artium (tulit
Doctor in uno alteroq; docendo molestiæ
Perpetitur, & laboris exhaurit? Rogo
Vos, animum aduertite. Primum etenim cum traditur
Puer, docendus pædagogo scilicet,
Et ad uirtutem humanitatemq; impigrè
Informandus, uidete quæso quàm arduam, &
Duram prouinciam, plenamq; miserrimi
Laboris, ac periculorum capiat. Ah
Non antè matura pueri ætas uidetur, ut
Mittatur in scholam & ludum literarium,
Quàm cum iam nunc domestica indulgentia est
Corruptus: & uitia insuper, tum intelligit,
Tum degustauit. Is non modò nullum quidem
Amorem

Amorem literarum uel admirationem,
At potius erga illas acerrimum odium,
Contemptum præceptoris, & turpißima
Exempla adfert domo. Cum monstro eiusmodi,
Præceptori decertandum est. Quod si doces,
Peregrinatur animus pueri. Atq; ut optimè
Succedat, est sexcenties idem penè
Inculcandum, dum illi inuito hæreat animo.
Cum paululum dein' modò despexeris,
Ex animo pueri rursus omnia effluunt
Illa, toties decantata. Et si reddere
Cogas, quæ didicit, tum uerò ludibrio
Haberi planè uideas præceptorem, eò,
Quia puero uoluptas est, fecisse quod
Præceptorem suum urat atq; exerceat,
Vt contumacia iuuentutis est modò.
Si quis rudem docere cogatur asinum
Ludere fidibus, aut saltare camelum, precor,
An non ægregiè miserum illum dicas mihi,
Laborem qui frustra sumat uel maximum?
At tolerabilius id est, quam nostros indies
Pueros docere. Namq; ut promoueas nihil
In asino uel camelo exercendo miser,
Certè illi nulla inuria molestiam
Cumulant. At isti belli pueri, strenuè
Cum nos defatigarunt, in nos insuper.

Sunt con=

Hyperm

Sunt contumeliosi. Inuenias qui palàm
Ausint conuitium facere præceptoribus,
Et manus auriculas imitatur clam mobilis
Albas. Quid cedo est, si non hæc est miseria?
Sed quid queri iuuat. Necesse est, quemlibet
Suæ uocationis acquiescere
Stationi, & fidelem esse cum patientia.
Sis asinus, quemcunq; asinum sors nimis aspera
Fecit, dixit quidam quàm prudentißimè
Ibo nunc ut uideam, quid rerum intus agitent.

# ACTVS III. SCENA I.

Senarij.

PHILEDONVS. ACHARISTVS. PAvinus. Agapetus.

PHILEDONVS.

VT præceptorem dij perdant omnes malè,
Orbilium illum, factitauit hoc mihi
Iam sæpiuscule, faxo ne porrò faciat.
Quare eius nunquàm posthàc ludum ingrediar: aut
Moriar potius. Hòc dico uobis seriò.

ACHARISTVS

Idem planè & ego sentio, ita doluit mihi

Hestera

Hesterna plaga. Malo quodcunq; in posterum
Et experiri & perpeti, quam Orbilij
Illius flagra. Grandes iam fermè sumus,
Iniquum est nos uirgis adhuc cædi asperis.

PARINVS.

Ego ita inflammatus certè sum ira & odio
Aduersus præceptorem, plagiarium
Illum, ut si adesset, dentibus discerpere
Hominem cuperem. Egonè regrediar ad ipsius
Scholas? Nunquam faciam. Habeo septendecim
Iam annos, uirgas nolo ego quidem pati amplius.
Quamuis duri hac in parte parentes sunt mihi,
Malo tamen quiduis uel facere uel perpeti,
Quam sub carnifice illo dehinc porrò discere.
Promissis tu quidem stetisti Agapete mi,
Vt socius mecum unà plagas perfortiter
Acciperes. Ego tua uicißim gratia,
Omnia uolo atq; cupio, adusq; sanguinem.

AGAPETVS.

Ego mihi ex Ephebis excesißse iam
Videor, & uerbera uirgarum paterer adhuc?
Non, si me magnus fulmine perdat Iupiter.
Plagas non curo, sed ignominiosum erat,
Nos grandiusculos, ut pusiones malè
Tractari. Valeat ergo schola & Didascalus,

*Meas illi nates non præbebo amplius.*

PHILEDONVS.

*SI placet à prandio eamus hinc in proximum*
*Nemus, quod ualde amœnũ est. Namq; & animus, &*
*Cœlum, & dies inuitant ad ludendum, age,*
*Si sic uidetur omnibus, ad duodecimam*
*Huc confluamus atq; agamus hilariter.*

ACHARISTVS.

*Placet consilium. Vobiscum ego uolo omnia.*

PARINVS.

*Et me uobis ultrò sodalem præbeo.*

AGAPETVS.

*Ego nonnihil uereor Episcopi mei*
*Boni senis, & docti uiri inclementiam.*

PHILEDONVS.

*Quid Episcopum times? Idem is fecit puer.*

ACHARISTVS.

*Ludamus, rideamus & iocemur hoc*
*Die simul unà, qui dudum unà fleuimus.*

PARINVS.

*Ne deseras fratres, Agapete candide,*
*Voluptatum sis socius, qui pœnæ lubens*
*Esse uoluisti. Sine te frigent omnia.*

AGAPETVS.

*Fiat quod uultis ergo. Et me uobis dabo.*
*Verùm quas hic quæso mulieres conspicor?*
*Meretriceo uidentur cultu incedere.*
*Sistamus hic gradum, ut audiamus quid uelint.*

PHILEDONVS.

*Expostulat illa, cum diademate Regio*
*Manete, fortè nobis præda parabitur.*

# ACTVS III. SCENA. II.

Senarij.

VOLVPTAS, VIRTVS, AGAPETVS, *Philedonus, Acharistus.*

PARINVS.

*Heus tu famelica num meministi bestia,*
*Tibi indixisse me bellum insanabile,*
*Et perpetuum? Quid ergo hic in regno meo*
*Tibi est negocij scelerata? quid obambulas?*
*Quid uis? quem quæris? fortè iuuenes optimos*
*Illos ut seducas? Vix me contineo, quin*
*Venefica tibi in oculos unguibus inuolem.*
*Fuge hinc ab oculis mendica, aut pulsaberis,*
*Viamq; hic cerebro disperges. Nunc apage te,*
*Vel malè mulctaberis. Non tu hinc scelesta abis?*
*Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis hinc.*

VIRTVS.

*Quid tibi feci, aut quid facio, quod me persequi*
*Studes, uoluptas, plus quàm capitali odio?*

VOLVPTAS.

*Rogas incantatrix? Non ego tecum modò*
*In disputationum arenam subdolam &*
*Sophisticam descendam, sed fortißimo*
*Duelli tecum certamen inibo pectore.*

VIRTVS.

*Non ego, bona tu, certandi huc ueni gratia.*
*Nec enim bellatrix sum. Si te tanta stimulat*
*Petulantia ac abdominis prurigo, ut hinc,*
*Quomodo animi tui libidinem uelis*
*Explere, nescias, certato cum tuis,*
*Et benè sit tibi, nec mihi paupertatem exprobres.*

VOLVPTAS.

*Mendica tu, quid gannis? Non poßum amplius*
*Mihi temperare, quin tibi protinus inuolem in*
*Capillum, & sic animo satisfaciam meo.*

VIRTVS.

*Obsecro iuuenes, ferte miseræ & innocenti opem,*
*Ferte auxilium, iam subuenite inopi mihi.*

VOLVPTAS.

*Etiam clamas? Committes iterum ut uapules.*
*Scelesta est hæc ô iuuenes, & uenefica,*
*Cauete ne dictis moueamini suis.*
*Cauete. Nam uestra huc processit gratia,*
*Vt uos seducat, fallat, atq; pertrahat*
*Vos in suarum miseriarum retia.*

VIRTVS.

*Non ulciscar ego iniuriam hanc, Deus meus*
*Vlciscetur suo tempore. Dixit etenim,*
*Mihi uindictam, & ego retribuam. Illi meam*
*Caussam commendo uindicandam perpetim.*
*At uos, adolescentes boni, cognoscite*
*Quæ sim, nec maledicæ date aures credulas.*
*Ego uirtus sum, dilecta Dijs & hominibus.*

VOLVPTAS.

*Nolite audire garrulam, nec credite.*
*Ego uobis quæ sit dicam, & coloribus*
*Eam suis depingam, iuuenes optimi.*
*Laudet te os alienum, sic scriptum est bestia, &*
*Laus propria fœtet, uulgo uerè dicitur.*
*Audite me, iuuenes ætate floridi,*
*Non mentior. Hæc sentina malorum est omnium,*
*Laboris mancipium, atq; paupertatis &*
*AErumnarum scaturigo & fons proprie.*

VIRTVS.

Cur mentiendo miseros adolescentulos
Is perditum? Sed sic soles. Audite me,
Cupio seruare uos, hæc uerò perdere.

VOLVPTAS.

Quam blanda es meretrix, hos ut capias scilicet.
At uos aures obturate, iuuenes mei.

VIRTVS.

Sine ut dicam, dein' si quid habes obijce.
Facilè in hac caussa patior hos ego iudices.

VOLVPTAS.

Quid mendica obsecro dignum laude adferes?

VIRTVS.

Sim mendica, (sine loquar) quid tum postea?
Talis sum, qualem me Poëta Sillius
Italicus descripsit, cuius & hæc uerba sunt.
...us Sillij Mecum honor & laudes & læto gloria uultu,
i. Et decus & niueis uictoria concolor alis,
Me cunctus lauro perducit ad astra triumphus,
Casta mihi domus & celso stant colle penates.
Et ne testi uidear ego inniti unico,
Audite iam Poëtam plautum illum insuper.
Virtus præmium est optimum, uirtus omnibus
Rebus anteit profectò, libertas, salus, uita,

Res, pá-

Res,parentes,patria et prognati,tutantur,seruantur.
Virtus omnia in se habet. Omnia adsunt bona, quem
penes est uirtus,
Hæc non ego fingo,sed doctißimi uiri
De me dixere eiusmodi. Iam accedit his
Iuuenalis noster,referens,quàm sim nobilis;
Tota licet ueteres exornent undiq; cœtus
Atria. Nobilitas sola est & unica uirtus.
Seneca inquit. Inter astra habet uirtus locum.
Et maximum quod est,idem Seneca refert.
Nunquam stygias ad umbras fertur inclyta
Virtus. Beatos non modò in hac uita,sed &
Exacto huius uitæ curriculo,facio. Num
Ergo sum contemnenda,& potius omnibus
Non appetenda uiribus? Vos iudices
Estote. Egomet mihi merces pulcherrima,
Et precium dicor longè maximum mihi,
Diuitijs animosa meis. Porrò hac gratia
Veni,quo uos,iuuenum omnium pulcherrimos,
Ad amorem inuitarem mei,quæ maximo
Opere amatores ornare soleo meos,
Et temporalibus, æternisq; eos simul
Bonis beare. Quid cupitis his amplius?
Sequamini ergo me,& non seductricem eam,
Cuius uia mors est ac ignominia sibi.
Simplici egò incedo habitu, haud uos hoc absterreat.

Amica nempe Dei ſum,cui uerè placet
Humilitas. Iſta,eſt uaria ueſte amicta. Nam
Satanæ ſeruit,Dei & hominum hoſti perfido,
Atq; eius aulæ eſt aſſecla ſuperbiſsimæ,&
AEternum cum principe ſuo damnabitur.
Hæc uos monere uolui,iuuenes optimi.
Oratio ueritatis eſt ſimplex,ſed eſt
Mendacium uarium. Monuiſſe ſit ſatis.

VOLVPTAS.

Dixiſtis Oratrix? Oratio ſplendida
Sanè fuit. Vah quantus ſplenduit nitor,
Vis quanta animos rapuit. At ego aliam tibi
Iam cantiunculam occinam,Naſonis hoc.
Rara quidem uirtus,quam non fortuna gubernat,
Quæ maneat ſtabili cum fugit illa pede.
Audis te ſubditam mihi,teq; à meis
Gubernari? Quid hoc,ſatin' tibi placet? Et
Addit quidem Poëta feſtiuiſsimus,
In omne te ſcelus ruere,cum deſerit
Te fortuna,ſoror mea. Quid peius dicier
In te potuit? Italus ille Filius tuus,
Idem te futilem appellat,nempe dictitans.
Nam uirtus futile nomen. Claudianus &
Dixit. Vile latens uirtus. Audi quæſo,quam
Sis contempta ubiq;. Iuuenalis loquitur tibi.

Quis enim

*Quis enim uirtutem amplectitur ipsam,*
*Præmia si tollas?*
*Quod te quoq; Philosophastra, nobilem facis,*
*Toto erras cœlo, indocta & iuris nescia.*
*Alij sunt quippè nobiles, alij quoq;*
*Qui uirtuosi dicuntur, alij diuites.*
*Vnde sequitur, quod uirtus planè non potest*
*Dici nobilitas. Conuenire tamen potest*
*Diuitibus hoc nomen, non tibi mendica tu.*
*Glossa est notabilis in Baldo atq; Bartolo,*
*Super legem. Nobiliores natalibus.*
*Codice, de Mercatoribus & Commertijs.*
*Vt efficiamini autem uerè nobiles,*
*O uos adolescentes longè suauißimi,*
*Sequamini me Reginam, non pauperem*
*Et mendicam, laboriosam & anxiam*
*Virtutem illam, quam qui secuti sunt, ferè*
*Omnes malè perierunt. Hoc nil certius,*
*Quàm quod uitæ hominis detrahat, & mortem uocet*
*Iusta ante tempora. Ego uerò econtra meis,*
*Fortunas amplas, nobilitatem, & coniuges*
*Pulcherrimas, cum dote maxima, insuper*
*Longam, bellam ac incolumen uitam largior.*
*Penes me lætitia est, solidumq; gaudium,*
*Tripudium, & ouatio. Tristitiæ mater est*
*Ista, exiccans ossa, atq; mortem concitans.*

Me omnes Reges terræ, & potentes sæculi
Colunt, & coluerunt semper. Nec mea minus
Castra sequuntur docti omnis generis. Me quoq;
Adorant iam pleræq; uirtutes, sua
Relicta, aut potius, abnegata Domina. Erit
Etiam propediem tempus, quo totus mea
Sequatur castra mundus. fundamenta sunt
Iam pulchrè iacta. Quid restat igitur, meo
Minus cur subijciamini imperio, boni
Iuuenes. An sordidi magis, quam splendidi,
Cupitis uitam exigere? Date mihi nomina.

VIRTVS.

Blandæ Sirenum sunt uoces istæ, O mei
Adolescentes, Cauete, fallet perfida,
Fallet, fallet, perdet corpus, simul animam,
Et perpetuo uos damnandos gehennæ dabit.

VOLVPTAS.

Quid obstrepis mendica, quin fugis illicò
E conspectu & oculis meis? Dolent mihi
Dudum oculi, quòd te conspicor. Nisi fugeris,
Sceleratos illos eripiam oculos tibi,
Et te prostratam humi conculcabo pedibus.

VIRTVS.

Sanguinolentæ ac atroces sunt minæ tuæ:
Bona uerba quæso, ne sæui tantopere.

Voluptas.

VOLVPTAS.

Etiam irrides? Vt te Dij perdant bestia.
Ad Monomachiam te prouoco, ut intelligant
Hi, cuius partes Dij foueant. Si talis es
Qualem te dudum iactitabas, aggredi
Cessas? Quid? Aperto Marte te hostem fortiter
Lacesso. Quid uelut cancer graderis retro?
Aut fortiter sta, aut turpiter fuge. En caput
Tuum peto, non posteriora, triuenefica.

VIRTVS.

Non sic pugnare, Magistro edocta sum optimo.

VOLVPTAS.

Non pugnabis nefanda, nec fugies tamen,
Sed uerba hic sapientia fundes? Iam iam scies.

VIRTVS.

Fer opem Deus meus, auxilio adeste optimi
Iuuenes, prohibete, Nam uim patior maximam.
Ridetis? Partes hi fouent magis tuas,
Ah, quàm meas. Sum derelicta ab omnibus.
Non me reliquit attamen Deus meus,
Etsi eius hic uindicta se non exerit,
Vlciscetur tamen hanc grauiter iniuriam
Tempore suo, quo non speras. Tu uideris.
Ego possidebo animam meam in patientia,

Feramq;

Feramq; crucem Dei mei sine murmure.
Eius, ne me eneces, aderunt mihi angeli.
Te Diabolo commendo & eius angelis.

VOLVPTAS.

Heus tu, quin praestolaris paululum? fuga
Sibi consulit uenefica, nec sapit male.
Heus fibulam tecum defer? Quin iam redis?
Laetam reporto ab hoste nunc uictoriam.
Videte adolescentes mei, quàm propicios
Habeam Deos, quàm sim foelix ego undiq;.
Cur non mihi protinus datis iam nomina,
Meoq; uos subijcitis imperio leui?
Promitto uobis omnes huius seculi
Delitias, & suauem uitam, ac laeta omnia.
Quid cogitabundi statis charissimi?
Num tanta opus deliberatione erit?
d Agape. Responde tu prae caeteris formosule,
Nam Genio non alieno à Regno nostro agi
Videris, sicut & socij omnes hi tui.

AGAPETVS.

Decora tu es, & polliceris optima,
Magisq; nobis & maiestas corporis
Tui ac orationis splendor placuit, ut
Verum fateamur, quàm uirtutis paruulae,
Abiectae & simplicis, quae persuadendi habet
Autoritatem

*Autoritatem nullam penitus. Ego lubens*
*Tibi me dedo, Regni tui clientulum,*
*Agapetum hunc. Pro se uestrum quisq; respondeat.*

VOLVPTAS.

*Recipio te Agapete in clientulum meum.*

PHILEDONVS.

*Et ego uoluptati Reginæ me dabo.*

ACHARISTVS.

*Nec in me mora erit, quin Reginæ seruiam.*

PARINVS.

*Et me tibi Regina seruulum offero.*

VOLVPTAS.

*Frugi estis & Regno meo percommodi. Haud*
*Illiberales uos præbetis, & lubens*
*Vobis bene faxim. Iam nunc hoc unum restat,*
*Vt exhibeatis uos fideles, strenuos,*
*Et constantes meis in castris milites,*
*Commessando, potando, scortando, dies*
*Noctesq; luxuriando, ludendo, bonas*
*Quas dicunt illi artes, cum præceptoribus*
*Spernendo, ac prosequendo uirtutem odio,*
*Nil non tentando, quod bonum reddat animum,*
*Vultumq; hilarem faciat. Curis nil sit loci.*

*Horum*

*Horum præceptorum sit æmulatio*
*Inter uos. Et te alijs præficio Principem*
*Agapete fili. Namq; præstas corporis*
*Forma, & magnus fieri uelle uideris mihi, in*
*Regno meo. Ad astra sic itur. Quod relliquum est*
*Præceptorum, dabitur intus. Me sequimini.*

PHILEDONVS.

*Habes'ne domi ueneres aliquas pulchellulas?*

VOLVPTAS.

*Habeo utiq; singulas formosas singulis.*

PARINVS.

*Dominam sequor lubentius iam, quàm prius.*

## ACTVS. III. SCENA. III.

Senarij.

DIDASCALVS, NIPHALIVS, COSmius, Cletus, Asfondus.

DIDASCALVS.

*ADeste huc uos robusti iuuenes quatuor,*
*Exploratum ite de Agapeto, Philedono,*
*Parino & Acharisto iam, per angulos*
*Omnes urbis, si qua latitent lenonis in*
*Domo, nebulones pessimi, qui absunt schola*
*Modò. Nil prætermittite, quærite impigrè,*

Vt in

*Vt in ordinem redigantur, & dignam sua*
*Improbitate accipiant mercedem pessimi.*

NIPHALIVS.

*Quantum in nobis, Magister, fiet sedulò.*
*Quæremus & nihil prætermittemus, ut*
*Inuentos & præhensos pertrahamus huc.*

COSMIVS.

*In me nihil quidem desiderabitur.*

CLETVS.

*Nec mea sanè præceptori deerit fides.*

ASPONDVS.

*Has illi non effugient ungues, uah quibus*
*Illos tractabo modis, quomodo tenebo eos.*

## ACTVS III. SCENA IIII.

Senarij.

AGAPETVS, PARINVS, PHILE*donus*, *Acharistus*.

AGAPETVS.

L*ibet'ne decertare saltu?* PARI. *ludus is*
*Non conuenit pransis.* AGAPE. *Quamob-*
*rem?* PARI. *Ventris quia*

*Suburra grauat corpus.* AGAPE. *Hui sanè, haud admodum.*
PARI. *Quod igitur saliendi genus uobis placet?*
AGAPE. *locustarum à saltu auspicemur, tibia*
*Vtraq; sed pedibus iunctis. longißimè*
*Qui promouet, feret coronam. Huius ubi erit*
*Satietas, aliud atq; aliud inchoabimus*
*Genus.* PHILE. *Equidem nullum recusabo genus,*
*Nisi quod cum periculo sit corporis.*
*Nolim quidem mihi cum chyrurgis esse rem.*
ACHARI. *Quid autem, si unica certemus tibia?*
AGAPE. *Ad omnia sum paratus.* PHILEDO. *Valeat ille nunc*
*Ludus, qui est Empusæ.* PARI. *Metam designa ebo*
AGAPE. *Paratus sum.* PHILE. *Verùm quod erit uictoriæ*
*Præmium?* AGAPE. *Abundè magnum uictori est gloria*
*Præmium.* PARI. *Ego uicto potius dandam esse in*
*Mercedem, gratia solatij.* AGAPE. *Sit hoc (quio*
*Idcirco præmium uicto, ut lappa benè*
*Coronatus in urbem redeat.* PARI. *Non hoc qui*
*Recusarim, si tu præcedas, tibia (dem*
*Canens. Sed uideamus iam, quid poßis Thraso.*
*Præcede, nos nihil concedemus tibi.*
AGAPE. *Quid illa placet meta?* PARI. *Illam facilè uicero.* *Agape.*

AGA. *Eho uictor egregiè.* PHIL. *Illius uerò uicem*
*Ego Vlciscar.* AGAPE. *Bona uerba, oro ne feceris,*
*Mi Vir.* PHIL. *Num irrides princeps?* AGA. *Ridiculum caput,*
*Quasi uerò non sis ridiculus.* ACHARI. *Ego quoq;*
*Experiar quid possim? Satin? uidetur hoc?*
AGAPE. *Nondum metam attigisti. Verùm sufficit*
*Saltasse iam, si placet, eamus ut sitim*
*Restinguamus parumper, contractam modò*
*Ex certamine. Redeamus ad puellulas,*
*Numero nobis respondentes, unde huc sumus*
*Progressi deambulatum. Ibi potabimus,*
*Amabimus, & saltabimus. Sunt Virgines*
*Equidem bonæ, ferunt libenter amorem.* PHI. *Age.*
*Ergo, quid cessamus. Hylarem hunc nobis diem*
*Sumamus.* PARI. *Sed quid fiet, si Magister hæc*
*Rescistcat? Vereor mehercule ne hæc Comœdia in*
*Tragœdiam exeat, & uertatur gaudium hoc*
*In planctum.* ACH. *Et ego, mi Parine, eadem cogito.*
AGAP. *Dama & lepore timidiores estis, uiri*
*Sitis. Iam hæc ætas nostra liberum magis,*
*Quàm aliorum, qui elementa primum discere*
*Incipiunt, uitam postulat.* PHILE. *Tanti quidem*
*Non facio præceptorem. Ausit me tangere*
*Vel digitò. Hunc ego ei, ecce, pugionem in uiscera*
*Contorsero. Conspirate mecum, si placet,*

Et date fidem, uos ut aheneos muros stare
Velle pariter mecum, ut si quis fortè ingruat
In me, in uos impetum fieri putetis, &
Si quis uos uel digito attigerit, iniuria
Mea sit, & me læsum putem, hocq; uindicem
Manu hac. AGAPE. placet conditio. Iuramus fidem:
Nunquid? PARI. Quando ita placet, fiat.
ACHARI. Pueri haud sumus.

# ACTVS III. SCENA V.

## Senarij.

DIDASCALVS.

VErè dictum prouerbio. Vicinus est
Qui claudo, claudicare discit. Sic ouis
Vel una morbida, totum ouile malè inficit.
Quis non nouit quantum mali secum trahat
Mala societas? Corrumpunt mores candidos
Colloquia praua, inquit Poëta. Vnde Seneca.
Conuictor delicatus, paulatim quidem
Eneruat ac mollit. Malignus socius &
Quantumuis candido atq; simplici, suam
Rubiginem affricat. Necesse est oderis,
Aut imiteris. Item. Vnum exemplum malum, mali
Multum

*Multum facit. Quæ experior omnia in meis*
*Discipulis, qui unà hærent in aliquo ganeo, à*
*Philedono seducti, nequam pessimo.*
*Quamuis quoq; Agapetus corruptus erat, prius*
*Quàm disciplinæ commendaretur meæ.*
*Magni ingenij puer est, sed educatio*
*Corrupit indolem bonam. Iam grandis est,*
*Igitur cogi non uult, nec habere tamen potest*
*Suæ uitæ modum ipse. Miserrimi sumus*
*Nos Pædonomi, qui in pistrino literario*
*Sudamus, atq; paruam inimus gratiam.*

## ACTVS III. SCENA VI.
Senarij.

NIPHALIVS, ASPONDVS, COS-
*mius, Cletus,*

NIPHALIVS.

*VBi illos quæremus, ubi inueniemus, bone*
*Asponde, quid in commune quæso consulis*
ASPONDVS.
*Ego quidem nescio, nemo nobis obuiam*
*Fit hic, qui diceret se comperisse quid*
*De illis. Habitant hic quædam lenæ scilicet*

*Anus, communes corruptelæ iuuenum. Age.*
*Si quis fortè unam illarum adeat, quid hoc placet?*

NIPHALIVS.

*Num notus es illis aniculis tu forsitan?*

ASPONDVS.

*Noui unam & alteram, sed non hoc admodum.*

NIPHALIVS.

*Non hoc de nihilo est, bone uir, quod nouisti eas*
*Fortasse obsequium præstiterunt & tibi?*

ASPONDVS.

*Quod obsequium dicis? properat en Cosmius*
*Ad nos rectà, ( uides ne? ) cursu concito,*
*Cum Cleto, fortè nuntiaturi huc, ubi*
*Sint. Procedamus illis obuiam rogo.*

COSMIVS.

*Cletus & ego explorauimus ubi sint, boni*
*Illi uiri. Iam nunc illos uidebitis.*

CLETVS.

*Prodibunt insani nimirum & ebrij.*

COSMIVS.

*Hic præstolabimur exeuntes, si placet.*

NIPHA=

NIPHALIVS.

*At quis cum furiosis illis & ebrijs*
*Ausit manus conserere? Ebrietas fortis est.*

ASPONDVS.

*Addit animum ebrietas quidem, atq; cornua*
*Sumit, sed temerè agunt ut plurimum ebrij.*
*Nos sobrij sumus, agamus ergo fortiter.*

CLETVS.

*Ne abijciatis animos, coniunctis uiribus*
*Faciemus impetum. Fideliter state.*
*Nunc ecce prodeunt magnis clamoribus.*

ASPONDVS.

*Tacete, in istoc angulo latitabimus.*

## ACTVS III. SCENA VII.
### Senarij.

AGAPETVS, PARINVS, PHILEDO-*nus, Acharistus.*

AGAPETVS.

N*Vnc instant Bacchanalia. Bacchatum ibimus,*
*In hunc mihi usum hæc est parata larua iam.*

PARINVS.

Hercule Parine te curâsti molliter,
Lauteq; munus administrasti tuum.

PHILEDONVS.

Proh, commessatores sumus percommodi.

AGAPETVS.

Laruati cursitabimus uicatim. Io,
Dein, ad amicas redibimus recta. Quid hoc?

PARINVS.

Ego interea aliquo abibo, mi uir, in angulum
Atq; edormiscam hoc uilli, sinite, sic agam.

AGAPETVS.

Num te sic abstrahes nostro à consortio?
Proh, minimè gentium. Nobis communia
Bona simul erunt & mala. Scis quia stipulatus es?

PARINVS.

Ero non postremus in insania. Pater
Liber. Io Bacche. PHIL. Io Ceres. AGAP. Io Venus.
ACHA. Io Dionysia. AGA. Proueniant medij mihi
Sic sæpe dies. ACHAR. Ho, ho, Io Liber pater.
AGAP. Non possum, quin festiua cantiuncula
Festum nobis lætumq; hunc prosequar diem..
ACH. Occupet extremũ scabies. AG. Vos canite simul
Diuersis uocibus, nullus sit reliquus
Tristitiæ locus apud uos. PHILEDO. Pæan, Io.

Agape-

AGAPETVS CANIT SAPHICVM.

*Hunc iuuat demum malè færiatum*
*Esse, nunc Bacchum iuuat inuocare,*
*Nunc iuuat pulchræ Veneri litare,*
*O Dionysi.*
*Adsis ô nostris Venus alma festis,*
*Et Ceres adsis, benè digna nostris*
*Versibus pangi, sine qua uoluptas*
*Languida Baccho.*
*Absit hinc omnis metus atq; curæ,*
*In locum cedant alea & choreæ.*
*Et sales centum, meretrixq; bella,*
*Atq; crateres.*
*Viuere hoc dicas, benè si quis inter*
*Pocula & mensas sibi uixit, atq;*
*Gaudij nullum uoluit deesse*
*Turpis amorem.*
*Sic uoluptatis furiosa uiuunt*
*Castra, sic regnat bona, Dijs creata,*
*Pulchrior stellis similisq; Soli,*
*Nempe uoluptas.*
*Illius regnis ego mancipatus,*
*Colla subieci imperio suaui,*
*Viuo nunc fœlix simul & beatus*
*Per noua regna.*

*Nunc triumphantum simul ora, uoces,*
*Personent, dulces socij, sonoris*
*Vocibus clamor Iouis ad beati*
*Scandat olympum.*
*Filius magni fuerit tonantis,*
*Strenuè uitam peragens in aula,*
*Quæ uoluptati Dominæ sacra est. Sic*
*Itur ad astra.*

## ACTVS III. SCENA VIII.

Senarij.

ASPONDVS, CLETVS, COSMIVS, NI-*phalius, Agapetus, Parinus, Phile-donus, Acharistus.*

ASPONDVS.

*DEdite uos ergo trusatores pessimi,*
*Vt præceptoribus per nos sistam ini.*

CLETVS.

*Hunc ego mihi capiam, uos alios prehendite.*

AGAPETVS.

*Tu perfide me capias? Mori quidem uelim*
*Lubentius, tuis capi quàm manibus. Ah*
*Nemo uestrum fugam det, fratres optimi.*
*Præsenti sitis animo & state fortiter.*

Hos

*Hos facile profligabimus in fugam, decet*
*Nos hic uirilitatis exemplum edere.*

ASPONDVS.

*Et uos accedite, accepi partem meam.*

AGAPETVS.

*Si tantùm uobis animi est, nunc accedite.*

PARINVS.

*Venite, & si lubet, uel digito adserite nos.*

PHILEDONVS.

*Heus uos uoco. Venite, quæso, capite nos.*

ACHARISTVS.

*Heus tu ueni, si honestus es commilito.*

AGAPETVS.

*Si non uenerittis, nos faciemus impetum,*
*Lacessiti, in uos per præceps, non sine malo*
*Vestro, ut alijs exemplum sitis omnibus.*

COSMIVS.

*Dedite uos ultro, fortè condonauerit*
*Noxam uobis, præceptor, hanc absentiæ.*

AGAPETVS.

*Non persuadebis istuc, si tibi Tullij*

*Vis affluat eloquentiæ, tu proditor.*

ASPONDVS.

*Quid est quod cessamus in illos facere impetum?*

AGAPETVS.

*Simus primi ergo fratres, fortiter agite,*
*Nauci sunt & nihili homines ac dupondij,*
*Vel flatu facilè hos in fugam conuertero.*

ASPONDVS.

*Væ misero mihi. Non herclè durare hic queo,*
*Si sic uultis.* COSMI. *Parce meo capiti furcifer.*

NIPHALIVS.

*O facinus indignum. Parce mihi. Hei miseriam.*

CLETVS.

*Regnum'ne Agapete poßides? Iniuria est.*

COSMIVS,

*Quingentos infregisti colaphos iam ferè.*
*Iniquior nunquam uisa est certatio.*
*Sunt uerberando illi, nos uapulando, age,*
*Vtrinq; defeßi. Os ego semper præbui.*

AGAPETVS.

*Heus ite nunc iam, fugite. Nam si pergitis*
*Esse molesti, geminabimus uobis malum.*

NIPHALIVS.

Non herculè cupimus.Hoc uobis prædixeram.

AGAPETVS.

Sic uos excipiam.Eho,redite,si lubet,
Redite.Egregiam uerò laudem atq; spolia
Refertis ampla.Sed superest quod uos uelim.
Quàm strenuè currunt,equo uix adsequi
Poßis. PAR.Ego non ausim repetere nunc scholas.
PH. Nec ego,ita me Deus amet,audeo.ACH.Sathanas
Reuertatur,non ego.PHIL.Quid ergo fiet hic?
Quid faciemus dic? AGAP.Militatum fugiam ego
Aliquò,& uos unà,si placet,quando domi
Nobis tutus non est locus,nec in scholis.
Commutemus togatas has in militarem
Habitumq; uestes,aut uendamus.PHIL.Ratio placet.
Sed nondum conscribuntur,ut audio,milites.
Quid interea fiet? AGAP.prædabimur interim
Id nunc militibus scilicet haud uitio datur,
Sed gloriosum est.ACH.Si liceat impunè,non
Autem cum capitis periculo. Haud uelim mihi
Herculè,cum carnifice post aut tortoribus,
Rem esse. PAR.Et ea mea est sententia.Si cedat malè,
De uita agitur planè,nunc modò de podice.
AGAP.Insanis,nihil est periculi,fingis tibi
Metum.Quid si cœlum ruat? Splendorem habet,
Proh,uita militaris.Pulchrum est,rem simul
Et gloriam,armis belli sibi parare. Me

*Iuuat gladiari fulminareq; ensibus,*
*Et hastas uibrare. Equidem res est splendida,*
*Ab omnibus metui, pariter & suspici.*
*Familiarem esse Regibus. Num singulis*
*Horis ferè uidetis pompas militum,*
*Et sesquipedalia auditis resonarier*
*Verba? His conferte studia contemptissima*
*Hoc tempore. Præcedit miles persplendidè.*
*Sequitur ex interuallo post, togatus &*
*Simplex, sine omni externo splendore clericus*
*Qui per contemptum, Papa, uel scriba dicitur.*
*Summa, mihi non placent Musarum literæ,*
*Humi quæ nunc uerè serpunt. Arridet ast*
*Magis magnificentia Martis. Vos pedibus in*
*Meam sententiam ite, nunquam uos quidem*
*Eius consilij pœnitudo capiet. En,*
*Ego uobis Dux ero & author. Non cedere*
*Poterit malè. Magnas mihi agetis post gratias,*
*Qui fuerim impulsor uobis. Sperate optimè*
*Et rebus uos seruate secundis fortiter.*
ACHA. *Persuaseris mihi, in tuam sententiam*
*Vt eam. Dij bene uertant nouum uitæ genus.*
*Quod succedit multis, & mihi successerit,*
*Si fors fortuna, quam inuoco, mihi bona erit.*
AGAPE. *Erit, nè dubita. In eadem et tu sententia es?*
PARIN. *Quanquam graue*

Erit

Erit ualde hoc audire parentibus,
Tamen quid faciam, desperatis omnibus
Rebus. Quid tandem & hoc tentare nocuerit.
Si fuero redux, forte olim et hæc meminisse me
Iuuabit. Age comitabor in mortem adeo uos.
PHILED. Et ego in omnes casus paratus sum sequi.
AGAPE. Redeamus ad ueneres, ibi mutabimus
Vestes, atq; ad iter nos statim parabimus.
Si quid opus est porrò, intus consultabimus.

# ACTVS IIII. SCENA I.

## Senarij.

AGAPETVS, PHILEDONVS, PARINVS, Acharistus.

AGAPE. Hos ego, malùm, non potui uendere
Codices.
Valeant, phi, phi, ociosa nugamenta, phi.
Pudet me tantum in his contriuisse ocij.
PHIL. Et hos mihi relliquos ex omnibus libros
Proijciam, qui tot mihi pepererе uerbera.
PARIN. Atramentarium hoc unum mihi superest,
Id non minus, quàm libros hos damnauero,
Et abijciam. Valeat calamus pauperculus,
* Hic calamus melior est, & longe dignior. *Has[ta]
ACHARIST. Hos pedib. conculcauero meis libros. signat.
Sic me

*Sic me dissectis uestibus incedere iuuat.*
AGAP. *Viros uos iudico, in nouo ordine strenuũ*
*Sitis, facitote, nemo cedat alteri*
*Improbitate atq; malitia. Cristas decet*
*Attollere uos nunc, & sesquipedalia loqui,*
*Imò fundere potius uerba. Incessus quoq;*
*Sit talis, qui omnes homines uos contemnere*
*Satis arguat, quos pecora præ uobis quidem*
*Putetis esse, aut umbras hominum, cæterùm*
*Vos solos homines ueros. Hæc si præcepta*
*Obseruaueritis, strenuos in milites*
*Euadetis, Primus qui occurrerit hodie*
*Nobis, in eo exemplum statuemus, strenui*
*Quam simus tyrones. Vtinam modò obuiam*
*se nobis mercatores aliquot offerant,*
*Bellè nummati, cum illis de marsupio*
*Nobis certamen esset.* PARI. *Si tamen pares*
*Illis & numero & uiribus essemus.* AGAPET.
*Erimus.*
*Audaces fortuna iuuat. Ad iungemus &*
*Alios nobis, iter huc facientes milites,*
*Stipendio quos conducam non arduo:*
*Similes similibus facilè congregantur. In*
*Parœmia est, similis quærit similem sibi.*
*Fortes estote in bello. Ego hostem operiar hic*
*Ex insidijs. At tu istuc in arbustulum*

PHILE.

PHILE. *Huc concesseris Parine tu.*
*Sed Achariste tu illic lateas commodè.*

## ACTVS IIII. SCENA II.
### Senarij.

ASMENVS. DIDASCALVS.

ASME. *Vbi, malũ, est Agapet. quem iam triduo*
*Meis non uidi oculis.* Equidem *custos bonus*
*Iuuentutis uideris esse. Quid mihi*
*Respondes? Dic si uis.* Num *mutus factus es?*
DIDAS. *Quid de Agapeto dicam, quem neq; quicquam pudet,*
*Neq; metuit quenquam, neq; legem se putat*
*Tenere ullam.* Vna, *quod fertur, ouis morbida.*
*Totum corrumpit ouile. Si diutius*
*Scholasticorum in grege fuisset, optimos*
*Quosq; infecisset animos iuuenum, pessimis*
*Exemplis, & totius gymnasij lues*
*Fuisset atq; pestis. Quare abesse eum*
*Gaudeo magis quàm doleo, ita me benè amet* Deus.
ASMEN. *Gaudes?* Nunc *quid dicam nescio, pueritiæ*
*Corruptela. Ah sanúm'ne credis esse te?*

DIDASC. Credo. Quid in etenim gaudeam, Episcope, pessimum
Excessisse nebulonem ex grege scholarium
Meorum, qui iam tres seduxit primitus
Magnæ spei iuuenes, bonorum filios,
Certè optimum quenq; infecturus post, nisi
Facta esset discessio. Nescis qui uir fiet.
Ecce, fero ad te flagitia magna, ingentia,
Capitalia. Miseram quosdam dudum, qui eum,
Cum illis tribus, quos socios iunxerat sibi,
Ad nos adducerent ex ganeo suo,
Vt corrigerentur. Eos inuasit carnifex,
Aperto marte, quantum potuit rapuit, &
Contudit, ac ad mortem multauit malè.
AS: Tua culpa id factum est, tu illum corrumpier
Siuisti. Tu inquam, Tu. Excusare non potes.
DIDASCA. Iuris sententia est celebris. Qui dedit
Occasionem damni, damnum ipsum dedit;
Dedisse uel certè uidebitur. Bonus
Ille adolescens noster. qui luxu perditus
Est, quòd amauit, quòd potauit, nemo hercule
Accusandus uenit magis, quàm Domine tu,
Qui his rebus sumptus suggerebas, & nimis
Indulgebas, præter bonum ac æquum. AS. Iam, eho,
Demùm istæc nata iuris est oratio.
Nimis fuisti ineptus ipse, & filium

Aposto-

Apostolo corrupisti negligentia.
Tu uideris ut respondeas Apostolo.
DIDAS. Quid autem plus, quàm feci, facere debui?
ASME. Tui quidem me pudet et piget. An non prius
Olfecisses, uel totis quatuor mensibus,
Quàm militatum profugeret ille nebulo.
DIDAS. Quid ni tu olfecisti, mi Episcope, cui fuit
Domesticus ille. Certè olfacere te prius
Oportuit, si modò curæ tibi fuit.
ASME. Curæ fuit, ais? futilis es & somnium.
Nolo prolixius sermones cædere
Tecum. Tu uideris posterius. Tibi Caue.

## ACTVS IIII. SCENA III.
### Senarij.

AGAPETVS, LISTA, ANEMERVS,
Anosius, Phylargirus.

AGAPE. Quos hic mihi homines conspicor.
sunt quatuor.
Ah esse uidentur milites. Id indicat
Habitus & uersicolores uestes. Num alloquar?
Benè sunt armati. Conueniam. Quid milites
Hac uobis est negotij? Quò curritis?
An dominum quæritis? frugi esse uidemini.
LIS. Omnino dominum quærimus. Istac gratia

Omnes transcurrimus terras. Precamur ut
Viaticum Domine nobis impertias.
ANEME. Te Capitanee rogamus, milites tui,
Ne nos sine munere dimittas. Quod si tibi
Esse ex usu poterimus & inseruire, nos
Promptissimos habebis omni tempore.
AGAP. Si placet apud me commorari aliquot dies,
Certo stipendio, me Dominum habebitis.
ANO. Rectè dicis. Nihil esset optabilius hoc.
PHIL. Lubentes nostram operam dicamus hic tibi.
Habebis nos ad omnia paratissimos.
AGAP. Benè dicis. Dabo uobis stipendium
Vulgare, quod militibus ad mensem dari
Solet. Si uultis, iurate fidem omnes mihi.
LISTA. Accipimus conditionem & iuramus, tibi
Nos fore fideles & uigiles in omnibus,
AGAPE, Vos milites accipio stipendiarios.
Non malè habent principia. Expectamus hospites,
Suam quisq; occupet stationem fortiter.
Fortasse mox aderunt, qui dent ut ad hyemem
Viuamus, liberaliter atq; diuites.

ACTVS

# ACTVS IIII. SCENA IIII.

## Senarij.

EMPORVS, PALINCAPELVS, ECH*malotus, Agapetus, Philedonus, Parinus, Acharistus, Lista, Anemerus, Anosius, Phylargirus.*

EMP. *Ah nescio quid mali mihi mens præsagitat*
*In his densißimis syluis. Circumspice*
PALIN. *In tergo quoq; oculos decet*
*Habere.* PALIN. *Stant mihi præ timore comæ, tremo*
*Totus, uastißima hac in solitudine.*
ECH. *Stultè hercule fecimus, quod hanc soli uiam*
*Sumus ingreßi absq; comitatu, idq; maximè,*
*Infamis cum sit hic latrocinijs locus.*
EMPO. *Parata fac arma habeas, armatos uide*
*Huc ad nos affectare cursus concitos.*
PALIN. *Armatos dicis?* Non uideo. *Num somnias?*
ECH. *Quid, quid? ubi sunt?* Dij *meliora.* O *bone* De*us*, O.
*Agapete. Vnde et quò huc pergitis nebulones peßimi.*
*Rationem reddite ilicò, si uobis salus*
*Vestra est cordi, aut ipsa hac hora moriemini.*
EMPOR. *Vobiscum quid nobis negocij uiri*
*Boni, Nostrum huc iter confecimus bono*
*Honestoq; instituto &* Regia *uia,*

Cupientes equidem lædere neminem, quod &
A uobis speramus. Quare dimittite
Nos illæsos, naturæ & iure gentium.
AGAP. Egóne uos dimittam pessimos uiros,
Locorum hominumq; proditores?
Qui iura quoq;, si Dijs placet, citare pro
Se audent. Scelestum hominum genus atq; perditum.
PALI. O capitanee ter maxime, bone iuuenis &
Heros, obsecramus te, ut nobis parcere
Velis, haud uenimus proditionis gratia, At
Negociationis exiguæ, Ephesi
Quæ nobis est cum honestis mercatoribus.
AGAP. Mercatores mihi nominas, hominum genus,
Quos unquam terra produxit, uanissimum.
Fex hominum, fons stultitiæ, sentina omnium
Malorum. Esse, en, tales uos profitemini.
Ergo è medio tollendi meritò protinus.
ECHMA. Bone princeps, mitte nos, ciues Philippici
Sumus. Parum aut nihil habemus pecuniæ.
AHAPE. Illi ipsi estis, quos quærebamus. Exue.
ECH. Pauper ego sum ciuis. Quid dabo, nihil habeo
Dimitte me, bone princeps pauperem uirum.
PHILE. Non dimitte hunc. Pecuniam aut uitam dabis.
EM. Si quid habemus, nostrum est. Vobis cur dabi=
mus hoc,
Nobis quod constitit multis sudoribus

Labori=

Laboribusq; Nunquam hodie faciam. Mori
Malo, quàm carere turpiter bonis meis.
PALIN. Nec ego dabo me. Extrema potius experiar
mala.
PARIN. Magna horum confidentia est. An non dabis?
ECHM. Perij, interij, occidi, quò nunc fugiam miser,
Quid faciam, mortem ante oculos conspicor meos.
Te rogo princeps, en arma proijcio, tibi
En supplices tendo manus. Lubens tibi
Memet dedo. Ah, ah, parce princeps maxime.
Peram quoq; tibi, auro grauem, si placet, habe.
Nihil præter uitam reseruare cupio
Mihi, O Princeps. Quid rapitis, aut quid tunditis?
AGA. Vos hunc exuite, spolidte atq; perdite.
Egomet illum aggrediar ueteratorem. Dabis,
An non? uno dic uerbo iam nunc, ut sciam.
EM. Quid dabit is, qui nihil habet? Quidnā poscitis
AGAPE. Vis clarius dicam? Arma pone primitus,
Dein' peram, uestes quoq; insuper exūe.
EMPO. Duram uocem audio. Quid uobis feci mali?
AGA. Philedone & Parine rapite tertium.
Verùm tu Achariste mihi adstes alacriter.
ECHM. Vitam mihi concede Princeps optime,
Ah princeps, princeps, subueni misero mihi,
Occidor à tuis. Quid tantillum iuuat
Effundere sanguinis? Quid mors prodest mea?

EMPO. Ah miserum me, tuas qui deueni in manus.
Vis haec quidem digna est puniri legibus.
AGAP. Iterum tu leges atq; iura nominas?
Vt te Dij omnes malè perdant. Etiam me putas
Leges & iura formidare? Iam scies,
Qui uir siem, quàm nihili leges Caesaris
Et gentium omnium faciam. Procumbit ut
Bos magnus humi. Ecce quomodo prosternitur,
En quomodo rictum diducit, quomodo
Os torquet. Insuper quoq; hoc tibi cape.
PALNIC. O dilecta uxor, O dilecti filij,
Nunquam memet uiuum posthac uidebitis.
Manibus Dei meum commendo spiritum.
ECH. Te inuoco, te quaeso princeps clementißime,
Sat uulneratus sum, uitam concedite.
AGAP. Huic uitam prorogate aliquantisper modò
Iam, manibus ad arborem post terga arctißimè
Reuinctis. Et ne clamet frenum faucibus
Inijcite, donec hunc, qui mihi se opposuit,
Despoliatum iam iam, uita quoq; exuam.
PALIN. O coelum, O terra, O secula, O mores, Deus
Meus, Deus meus, me miserum respice.
PARI. Quid clamas furcifer? quid inuocas Deum?
Is te iam curat scilicet, quasi nihil
Habeat aliud quod curet. Ergo liberet
Te iam nunc ex manibus nostris, si illi places.

LISTA. Vtrunq; brachium post terga porrige.
Extende fortius, quid scapulas contrahis?
ANE. Caput quoq; erige, ut hanc torquem collo tuo
Circundem, & istud frenum inijciam faucibus.
ECH. Ah, ah, me terq; quaterq; infœlicißimum,
O dulces liberi, O coniunx charißima.
PALIN. O pater immensæ misericordiæ Deus,
Per Filium tuum dilectum te inuoco,
Fer opem misero, serua me perditum obsecro
AGAP. Clama altius, forsan dormit Deus tuus,
Aut est in diuersorio, ut te exaudiat.
Iam ego meis te interficiam manibus, nisi
Te liberet Deus ille tuus. Sed longius
Abesse uidetur, opemq; differt fortiter
Potius morere, præsenti sis animo, atq; nunc
Extende iugulum huic gladio. Quid tardus es?
PAL. Quando mortẽ euadere nequaquã queo miser,
Nec ulli apud uos misericordiæ locus
Est reliquus, heu latrones perditißimos,
Fiat Dei uoluntas in me, quando sic
Eius placuit oculis, non formido pati
Mortem, Dei cum Filius mortem quoq;
Pro me misero subiuerit indignam crucis.
Tuis manibus Fili Dei uiui meum
Commendo spiritum, redemisti Deus
Verax me miserum. Spiritus tuus bonus

Deducet me in terram rectam, propter tuam
Mortem sanctißimam & promissam gratiam,
Vestrum uobis etiam non deerit præmium.
Facite iam quodcunq; est in animo, adsum, pati
Paratus omnia, nec mortem diram horreo,
Qui uitam longè meliorem mihi scio,
Apud Christum Dei dilectum filium,
Paratam, ad quam mors ista præbet transitum.
Non te tyranne crudelissime timeo.
Corpus quidem potes, at non animam occidere,
Cupio ergo dissolui & cum Christo uiuere.
AGA. Mori uolenti, mors deesse non potest.
Viue igitur cum Christo tuo, & sic transeas.
Cadauera mortua in lacunam proijce.
Tu uerò spolia appone huc protinus omnia.
Est commoda satis præda nostris unguibus.
Tu uestem illam undulatam cape, tu tunicam,
Tua sit pars illa. Quod reliquum, mea portio est.
Pecuniarum satis est magna copia,
Quis numerare cupiat? Aceruatim diuidam.
Tuus sit aceruus iste, tuus sit ille, sit
Tuus hic. Hoc esto militum stipendium.
Quod uerò superest, hoc totum mihi uendico,
Qui uobis nempe Ducatum præsto, uiribus
Qui præstantißimus, uestrum quoq; omnium
Dignißimus sum. Sic ad astra itur uiri.

Nunquid

*Nunquid mentitus sum, aut fefelli uos mei?*
*Nunquid compendiosa est, absq; laboribus,*
*Via haec ad diuitias?* Hoc demum uiuere est,
Hoc est *imperio potiri. Iam praepotens*
*Monarcha ero propediem, & uel* Croesi *mihi*
*Diuitias congregauero. Laetum hunc diem*
*Sumemus iam, genio indulgentes affatim,*
*Non deerit quicquam gulae nostrae aut luxui.*
ANO. *Sed quid, princeps, fieri uis de hoc homine, cito*
*Expediemus, ne dicat quis eum laserit.*
AGA. *Rerum successus me obliuiosum fecerat.*
*Abi, ac ori eximas linguae repagulum.*
*Stet tamen ad arborem haud solutus uinculis,*
*Vt cùm, quae sunt necesse dici, dixerit,*
*Globorum ictu aut sagittis configatur &*
*Pereat.* Morieris, *si quid uis, mox dicito.*
ECHMA. *Te ego oro, te obsecro, mi princeps optime,*
*Vt me uita dones, quae nunc planè est tua.*
*Aurum quod accepisti purum, sit tuum.*
*Quingentos insuper me promitto tibi,*
*Bona atq; infallibili, certa & tuta fide,*
*Soluturum aureos, duos intra dies,*
*Nec me cuiquam hominum reuelaturi mea,*
*Quae contigerunt mihi, sic me saluet* Deus.
AGAP. *Quàm pulchrè nouit uerba dare trifurcifer,*
*Vt scilicet me cum meis tu perderes,*

Meq; & meos socios extemplò proderes.
ECH. Absit. Non prodam uos, Christus sic me adiuuet,
Cuius ego nolim deierare gratiam
Et regnum, si moriendum sit mihi millies.
AGA. Quid Christi nomen occinis mihi, quis est?
ECH. Est Filius Dei unicus, Deus & homo,
Qui nos suo redemit in cruce sanguine.
AGA. Autore quo, fidem illam, dic, edoctus es?
ECHMA. Ioanne autore, maximo Dei uiro,
Qui Iesu discipulus fuit charißimus,
Et Ephesi publicè uerbum Christi docet,
Cuius ego me quoq; auditorem profitro.
AGA. Ioannem nosti Apostolum? uah traditor,
Nunc scio, quòd speculator sis atq; proditor.
Occidite protinus hominem, nec sit mora.
ECH. Quid morte dignum dixi aut feci miser ego?
O Princeps, parce propter paruos liberos,
Non proditor ego sum, quod si compereritis,
Exquisitis me afficite tormentis dein'.
AGAPE. Credendúmne putas esse huic Philedone?
PHILE. Bonus esse uidetur alioqui. Parcendum erit.
PARI. Detineatur captus, donec numerauerit,
Quod promisit. Quis sit, patescet tempore.
ACH. Placet ut uiuat, donec quingentos numerauerit.
AGA. Rogarunt hi me plurimùm, ut tibi parcerem.
Parcam itaq;, modò promittas soluere uelle te,

Absq;

*Absq; malis artibus, quingentos aureos,*
*Intra biduum. Das sine dolo malo fidem?*
ECH. Do *tibi tuisq; fidem, princeps, firmißimam,*
*Atq; insuper habeo gratiam quammaximam.*
AGA. *At captiuus nobis manebis interim.*
ECH. *Manebo princeps, atq; hinc mittam nuncium.*
PHIL. R*euiuiscit iam nunc, princeps, quē occideras,*
*Fugamq; adornat è lacuna mortuus.*
AGA. *Tenete, tenete, capite mihiq; adducite.*
*Quid hoc?* R*euiuiscunt nobis & mortui?*
*Te mortuum credideram, bone uir, iam excitas*
*Nobis nouos ludos.* I*am morere denuò.*
EMPO. I*gnoscat tibi* D*eus,* O*rphanorum qui pater,*
*Et uiduarum iudex est, mēam cui*
*Commendo coniugem & dilecta pignora.*
*Christe tuas in manus iam trado spiritum*
*Meum.* R*edemisti me* D*omine* D*eus meus*
*Precioso sanguine,* V*eritatis tu* D*eus.*
*Non moriar, sed in te uiuam in uita altera.*
*Fac finem* D*omine, fac finem cruciatui,*
*In extremis adsis tuo mihi spiritu,*
*Ne me diræ mortis perturbet atrocitas.*
AGAPE. *Quid hominem excarnificando crucia-tis diu?*
*Dum frustra certatis, dolore & ex suo*
V*oluptatem, nescio quam, uobis fingitis.*

*Sic ergo*

Sic ergo morere. En efflat animam protinus.
ACHARI. In uentos uita recessit, abijt spiritus.
PAR. Propendulum caput, labia sunt pallida.
PHI. Nasus friget, & omnia mortem præ se ferunt.
AGA. Soluite nunc uincula, atq; uestris moribus
Eum sepelite. Veniet uobis statim
Iam lautior ferina, & oppiparum magis
Fors ferculum. Incidet præda in casses meos,
(Nisi animus omnino fallit) petita. Fors
Fortuna sis bona, sis tuis propicia, sis
Clemens, æqua, & secunda tuis clientulis.

# ACTVS V. SCENA I.

## Senarij.

### FAMA, VIRTVS.

FAMA. Quid agam? Euolabo, an non? Timeo. Non ædepol
Ausim prodire. At prodeundum omnino erit.
Non possum continere me domi amplius.
Sed uastam adeo, horrendum ac ingens monstrũ uelut,
In publicum prodire me subito, haud metu
Vacat, & non est tutum. Sic potius contraham
Vastum hoc corpus, & humi serpam. Sic melius est.
Nec clara dicam uoce, quæ scio, omnia,
Sed murmurabo potius & secreta ego

Aure su-

*Aure susurros diuersos stridebo. Quid hoc?*
*Sum namq; consternatione aliquantulum,*
*Nescio qua, primò deiecta. Ideoq; me offeram*
*Turbæ, pusillam principio. Sed uiribus*
*Dein' confirmatis, quasi grandescam, & altius*
*Sensim attollar, adeò ut pedibus nitens solo,*
*Nubes uacuas æquare ac summo uertice*
*Sydera ferire uidear. Quàm pusilla sum*
*Iam, quàm in gyrum me contraxi Incipiam modò*
*Susurrijs stridens, ambigua spargere*
*Ac disseminare uoce in uulgus hæc noua.*
*Scholasticus Agapetus atq; complices*
*Sui, latrocinantur atrocissimè*
*In montibus, & occiderunt duos uiros,*
*Et tertium miserè captiuum detinent.*
VIR. *Quid hoc monstri est, quod conspicor, uastùm ædepòl,*
*Immane, ingens, cui tot pennæ sunt & leues*
*Plumæ, colores tot (res mira) tot oculi,*
*Nunquam conniuentes uel nictantes, tot &*
*Solutæ linguæ, tot etiam ora sonantia,*
*Tot arrectæ aures. Vah monstrum mirabile?*
*Accedo propius iam, ut quid sonet audiam.*
FAMA. *Scholasticus Agapetus atq; complices*
*Sui, latrocinantur atrocissimè.*
*In montibus, & occiderunt duos uiros,*

*Ac terti=*

Ac tertium miserè captiuum detinent.
Asmenus noster Episcopus, & Didascalus.
VIRT. Quid hoc monstrum gannit, quæ nunciat
noua?
Serpebat humi modò, sed nunc attollitur
SEN. Ludebat murmure & susurrijs
Initio, at nunc aliquantò profert clarius.
FAM. Scholasticus Agapetus atq; complices
Sui, latrocinantur atrocißimè
In montibus, & occiderunt duos uiros,
Ac tertium miseré captiuum detinent.
Asmenus noster Episcopus, & Didascalus.
Sunt Scelerum istorum conscij & fortè socij.
VIRT. Nunc memini. Hoc monstrum Fama doctis
dicitur,
Res admodum pernitiosa atq; pestilens.
Tam ficti prauiq; tenax est, quàm nuncia
VERI. Sicut Didascalo, atq; Episcopo,
Certò scio, quòd grauem faciat iniuriam.
FAMA. Scholasticus Agapetus atq; complices
Sui, latrocinantur atrocißimè
In montibus, & occiderunt duos uiros,
Et tertium miserè captiuum detinent.
Asmenus noster Episcopus, & Didascalus,
Sunt scelerum istorum conscij & fortè socij.

Est quip=

Est quippè Agapetus hic filius Episcopi,
Sed alij omnes, discipuli sunt Didascali.
VIRT. En quomodo se nunc erexit bestia,
Et alta uoce exclamat, ne quis nesciat.
Vsu firmatur uideo, & impudentior
Efficitur, fitq; petulantior & alacrior.
Hi sunt iuuenes illi, quos artibus suis
Malis Voluptas perdidit. Sic sic solet.
Prædixeram hoc futurum. Officium ego meum
Feci, hortando, monendo, alliciendo, mea
Potius sequerentur castra, quàm turpißimæ
Voluptatis. Sed sic sunt adolescentium
Hodie ingenia, à laboribus ad libidinem
Propensa. Doleo ita miserè esse perditos.
Manus carnificum non poterunt euadere.
Miseret me illorum. Ah, ah, Voluptas, pestilens
Esca malorum, ut perdis animas & corpora,
Hæc id nunc diuulgabit per totum oppidum,
Perq; Asiam omnem. O miseras animas deperditas
Ascendit ecce nunc tectorum ad culmina,
Magno stridore, ut ibi tanquam bubo sedeat
Feralis sola, audiriq; queat ab omnibus,
Et quæ fiunt ubiq; uidere singula.

ACTVS

# ACTVS V. SCENA II.

Senarij.

S. IOANNES.
*Asmenus.*

S. IOANNES.

*Fac ergo purè prædices uerbum* Dei,
*Iusta opportunè, importunè, argue, obsecra,*
*Et increpa, in doctrina omni ac patientia.*
*Labora & uigila, Euangelistæ fac opus,*
*Ministerium tuum imple, & esto sobrius.*
*Volo autem imprimis obsecrationibus*
*Dari operam, orationes fieri maximè,*
*Et actiones gratiarum pro omnibus*
*Hominibus, & regibus atq; Magistratibus,*
*Quietam ut uitam agamus in pietate, nec*
*Non castitate.* Nam *hoc bonum est coram* Deo,
*Nostro saluatore, omnes homines qui cupit*
*Saluos fieri, ac ad agnitionem simplicis*
*Venire ueritatis.* V*nus enim* Deus,
*Et unus solus mediator hominum &* Dei,
*Homo* Christus Iesus, *qui semet pro omnibus*
*Dedit redemptionem.* Namq; *apparuit*
*Saluatoris benignitas & humanitas*
*Dei nostri, non ex operibus legis aut*
*Iustitiæ,*

*Iustitiæ,quam nos fecimus,sed pro sua*
*Immensa misericordia,nos perditos*
*Saluos fecit,nempe,lauacro uitæ nouæ,*
*In spiritu sancto,quem abundè effudit in*
*Nos,per Iesum Christum Saluatorem omnium,*
*Vt uerè iustificati gratia ipsius*
*Hæredes simus,iuxta spem firmißimam*
*Vitæ æternæ. Sermo hic utiq; fidelis est.*
*Et de his uolo te confirmare,ut bonis*
*Curent operibus præesse,qui credunt Deo.*
*Hæc sunt utilia & bona hominibus coram Deo*
*Et Christo Iesu, eiusq; electis Angelis.*
*Obtestor te,ut sine præiudicio istæc custodias*
*Sic, ne quid facias omnino,in partem alteram*
*Declinando. Manus imponas citò nemini,*
*Et ne peccatis alienis communices.*
*Postremò nunc depositum,bone Episcope,*
*Repræsenta,quod tibi planè Christus & ego,*
*Sicut scis,commendauimus,hac Ecclesia*
*Teste,cui præes docendo filium Dei.*

ASMEN. *Quid illud est, O Apostole Dei? Quid petis?*
*Depositum illud,quod poscis,quale est,pater?*
*Hæreo planè. Depositum nullum scio.*

S. IOAN. *Iuuenem illum cedo, repeto abs te fratris animam.*

ASME. Ah ah perij, quid respondebo Apostolo?
Quid dicam? Ah ignosce, Iuuenis ille est mortuus.
S. IOAN. An mortuus est? Dic quomodo defunctus est,
Vel morte qua? Quid in lachrymas resolueris,
Quid imo producis pectore suspiria?
Mitte lachrymas gemitusq́;, & dic quid sit rei.
ASMEN. Ah mortuus est Deo. Nam euasit pessimum,
Flagitiosißimumq́; in nebulonem, O Dei
Apostole, ignosce mihi referenti hæc tibi.
Postremò eò improbitatis iam progressus est,
Vt latrocinia exerceat crudeliter.
Deniq; nunc montem quendam, ne quid reticeam
Planè, cum multa latronum manu occupat.
S. IOAN. Benè actum equidem, pulchrè dedisti te, bone
Episcope, frugi es. Huic commendes scilicet,
Si quid rectè curatum uelis. En te bonum
Fratris animæ custodem dereliquimus.
Sed iam mihi paretur equus & dux itineris.
ASME. Fiet iam nunc extempli Domine Apostole.
Mitte iracundiam uerò atq; ad te redi.
Mea haud culpa accidit, quòd sic corruptus est.
Consortio malorum deprauatus est.
S. IO. Inepta lenitas & facilitas praua, eum
Corrupit Episcope. Vigilantiam tuam

Desidero

Desidero. An non olfecisses quidpiam
De uita, moribus & consortio ipsius,
Priusquam eò proteruiæ ac malorum erumperet?
Vt quisq; suum uult esse, ita est. Sed propera,
Cum, ut dixi, de equo, ac frugi socio uiæ.
ASME. Ilicò propero, ut effectum reddam quod cupis.

## ACTVS V. SCENA III.

### Senarij.

S. IOANNES.

DEformat Euangelium atq; doctrinam piam,
Et scandala excitat, facitq; ut sentiant
Homines leuius de doctrina & docentibus,
Mala familiæ administratio. Nam qui Dei
Ecclesiam reget, suæ qui non benè
Præest domui, & habet sceleratos liberos,
Nec familiam potest regere? Hinc nomen Dei
Sanctum afficitur contumelia & blasphemia
Inter gentes. Quid autem faciam? Ab Episcopi
Eum ob id remouebo munere? Graui crimini est
Obnoxius, quod disciplinæ uinculis
Solutis atq; habenis laxatis, bonum
Iuuenem corrumpi sinit. Verùm dogmate

Tamen nullo prauo contaminatus est,
Et fortè per omnia culpa non perijt sua
Iuuenis ille, ut multos præstantes legimus
Hinc inde uiros & Doctores Ecclesiæ,
Quorum flagitiosi fueruut liberi.
Vt Aaron, Samuel, quos tamen minimè ob eam
Caussam, suo ab officio remoueri, conditor
Rerum Deus uoluit. Namq; dubio procul
Aaron, Samuel, & similes maximi uiri,
Tam ad pietatem informarunt liberos suos,
Quàm ad honestatem, magna cura, ac nihil tamen
Profecere. Igitur culpa haud transferenda erit
Semper in ipsos parentes uel Magisterium,
At in ipsos potius liberos, qui non uolunt
Benè monentibus obtemperare, sed
Quadam ingenij malitia per præceps ruunt
In omne uitiorum genus, atq; nomina
Flagitiorum sexcenta, sicut dicitur
Prouerbio. Heroum sunt noxæ filij.
Veruntamen benè adhuc spero de filio
Iam perdito, quem puto posse recoqui ad bonam
Frugem, quamuis rectum iustitiæ tramitem
Reliquerit, præceptorum indulgentia,
Quos acriter ob id increpandos iudico.
Sed equus adducitur reditq; Episcopus.

ACTVS

# ACTVS V. SCENA IIII.

## Senarij.

ASMENVS, S. IOANnes, Dulus.

ASME. *Curaui ſicut iuſſeras Apoſtole.*
*Adeſt equus, Dux & ſimul comes uiæ.*
S. IOAN. Noſtin' *uiam ad montem infamem latronibus?*
DVL. *Noui quidem, quamuis non tutum accedere eſt.*
*Ante dies paucos perierunt ibi duo*
*Boni uiri, mercatores ditiſsimi.*
*Non eſt conſilium, nos ſolos illuc iter*
*Temerè facere, de uitæ agitur periculo.*
ASME. *Nolim te Apoſtole in uitæ diſpendium*
*Venire, perditiſsimos eſſe audio*
*Latrones illos, fortè nec parcent tibi*
S. IOAN. *Scriptum eſt, ueſtri capilli, noſti* Epiſcope,
*Numerati ſunt omnes, unum in terram haud cadet,*
*Abſq; uoluntate patris ueſtri. Si ergo* Deus
*Pro nobis, quis contra nos aut quis uim inferet?*
ASME. *Veriſsimum eſt illud quidem. Quando placet*
*Igitur & ſic omnino uis,* Tu *Apoſtolum*
*Dei comiteris ſtrenuè, & adſis fortiter.*
DVLVS. *Faciam quantum in me erit, uirili pro mea,*

Etsi temerarium est, nos hoc iter aggredi.
Contra plures pugnauit ne Hercules quidem.
S. IO. Mitte querimonias. Plures nobiscum erunt
ASME. Si placet, & ipse te comitabor Apostole,
Vel plures adiungam tibi, ob periculum.
S. IO. Nec te, nec plures cupio. Hic unus sufficit.
DVL. Hoc quomodo, Dei uir, dic intelligam?
S. IO. Christus mihi cum sanctis aderit Angelis,
Et nos tuebitur potentia sua.
DVL. Nunc ergo montem fortiter aggredi lubet.

## ACTVS V. SCENA V.
### Senarij.

ASMENVS.

VTinam benè cederet, quod agit Apostolus.
Oportet certè ut plus, reuelante inclyto
Sanctoq; spiritu, prospiciat uir Dei,
In desperato illo & scelerato iuuene, quàm
Ego. Sanè mea haud perijt incuria,
Qui formandum Magistris illum sedulò
Commendaram. Citius quidem domestica
Vitiorum corrumpunt exempla, authoribus
Cum magnis subeunt animos. Ego uerò meo

Illum non corrupi exemplo, qui nullius
Mihi sceleris designati sum conscius.
Sua potius culpa occidit atq; nequitia.
Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.
Nam ruptis disciplinæ habenis, quærere
Adsuescunt beluinas uoluptates, dein'
Verò grassari totis noctibus ebrij,
Nec non tumultus excitare inconditos.
Ac sæpe quidem accidit, ut etiam modestior
Quis, in sodalitia sanè dißimilia
Nonnunquam pertrahatur, quod huic accidit.
Hei mihi, malorum morum, proh contagium,
Miserum illum perdidit, iuuenilis impetu
Vt primo ardor furere solet. Ah, & pròh dolor,
Dedit hanc contagio labem. Heu uerò mihi,
Apostolo etiam timeo, ne quid accidat
Mali. Nam desperatus esse creditur
Agapetus, generis humani hostis & Dei.
At Ioannem protegat, qui cuncta temperat
Nutu, Christus Iesus sua potentia.

## ACTVS V. SCENA VI.

Senarij.

ANOSIVS, PHILARGIRVS, S. IOANnes, Anemerus, Dulus, Lista, Agapetus, Parinus, Philedonus, Echmalotus, Acharistus.

ANOSI. Quid hic quæris senex, quis te huc genius malus
Impulit? An non satius erat, sedere post
Fornacem tibi, pomaq; uel pira, præ tædio
Fallendo temporis, assare? Nisi fallimur,
Sectaris uerbera, & male tractari cupis.
Dic quid negocij sit hic senex tibi?
PHI. Certè hic senex malè uult habere, ultro caput
Obiectat infortunijs. Delirus es?
An mentis sanæ? Quid perditio hic est tibi?
Nec arma habet. Quid cessas? capiatur ilico, &
Ad principem trahatur miser homuncio.
S. IOAN. Intrepidè uestra sustineo ego uerbera,
Nil timeo mihi à uobis, nec effugiam, ô uiri,
Nec prorsus declinabo usquam. Nam Principem
Vestrum uolo. Ea ueni caussa. Veniat mihi,
PHILAR. Veniet tibi, sed malles non uenisse eum.
Dedis te ergo, an non, in manus nostri Ducis?
S. IOAN. Iterum exclamo, non audis, Principis tui
Quod huc ego consultò adueni gratia.
ANO. Insanis credo senex, qui sic exclamitas
Mortem quasi uocans, quæ per se tarda non
Erit. Iam ueniet Princeps, sed magno tuo
Malo. Tu præcurre atq; dic hæc Principi.
Ego interim hominem seruabo uiriliter.
Illum alterum tu cape, tibi sit curæ iste, quin

Iam pro=

*Iam protinus irruis, quin impetu inuolas*
*Vno in capillos, atq; in terram proijcis?*
DVL, *Here, ah Here, hoc nunquid prædixeram tibi,*
*Volens nos crudelißimæ morti obijcis.*
ANE. *Te dede furcifer, ac manus huc porrige.*
DVL. *O miserum me, nunc extremum uiuo diem.*
*Here, ah, nunc tempus est, ut ueniant angeli,*
*Et nos hîc liberent. Ah ueniant Angeli.*
LISTA. *Princeps, ecce, uenit iam, quid hoc tibi senex*
*Placet? Armatus graditur, senex, en quomodo*
*Coruscat, quomodò fulgent arma. Concito*
*Incedit gressu, & commotus uidetur admodum.*
*Iam tibi ludetur, iam te rapiemus senex.*
S. IOAN. *Tuas nil formido minas, nil scommata*
*Curo, nihili probra facio, latro, tua.*
*Illum uolo unum, illum curo, quem Principem*
*Tuum fateris, ille mihi curæ est, nihil*
*Eius trucem timeo uultum, ueniat modò*
*Ille ipse, cuius huc adueni gratia.*
AGAP. *Quis ille senex est, quem dicebas, aut ubi*
*Est? Vah agnosco hominem enumus. Est, an non?*
*Quis est?*
*Vah, Apostolus Ioannes est. Ah pudet & piget*
*Faciem eius contueri sanctam. Hem quò miser*
*Redactus sum. Vt uos omnes malé perdat Deus.*

*Cur apprahendistis hominem illum? Hoc telum modò*
*Tua istæc in scelerata uiscera torsero.*
*Sed reprimo me. Dabitis tamen pœnas mihi*
*Suo tempore. Quid multa dicam, quid loquar,*
*Quid faciam? Is est ipse, ipse est. Agnosco uiri*
*Faciem, non falluntur oculi. Pròh, pròh pudor.*
*Adibo, an non? Qua fronte? Quid dicam? Malè*
*Tractabo uirum Dei, patrem quasi meum,*
*Benè de me meritum, cuius excußi leue*
*Iugum? Non faciam. Nam etsi hoc fecero, scio*
*Paratum iam fulmen, quo me Deus adigat*
*Ad tartara, & corpus diffindat impium*
*Vel in sexcentas partes. Me intuetur, ah*
*Vix tempero mihi, quin cerebrum tibi*
*Dispergam hic, & sceleratam extinguam animam tibi,*
*Qui illum cepistis hospitem. Diutius*
*Me non sinit pudor contemplari uirum.*
*Fuga mihi consulam atq; abdam me in angulum*
*Aliquò, sic faciam potius, quàm uidear ei.*
S. IOAN. *Iam mitte me, uerbero, dimitte, quid tenes.*
*Fugitantem Principem tuum insequi uolo,*
*Malo non instituto, etiam oblitus meæ*
*Aetatis, Quid fugis fili, ah, patrem tuum?*

*Mane mi*

Mane mi fili, cur fugis inermem senem?
Miser hære, timere noli, uitæ adhuc habes
Spem. Christo rationem pro temet reddam ego.
Certò & mortem pro te excipiam libenter, ut
Et Dominus excepit pro nobis. Pro tua
Anima, dabo meam animam. Sta tantum, & mihi
Crede, quia Christus me misit reuocare te à
Vijs perditionis, quas nunc inambulas.
Mane rogo, uultum in terram demissum erige
Et me respice. Bono sis animo & non time.
AGAPE. Hei mihi, quid faciam? Perij, interij, hei
occidi.
S. IOAN. Mane, mane, cur me fugis patrem tuum,
Senem inermem? Te solum expecto, te quærito,
Benignè te mihi obtulisti huc obuiam.
Mane quæso, quid festinas fili optime.
AGAPE. Perij, actum est, ne me cures. Væ misero
mihi.
S. IOAN. Nondum perijsti. Habes adhuc uitæ bonam
Spem. Christus te reuocat, qui me nunc misit huc.
AGAP. Perpetuò perij. Differor doloribus.
S. IO. Quid est quod trepidas fili? Alieno ne sis à
Me animo, patre tuo. Vitam tibi promitto iam.
AG. Ah me miserum, miserũ me, animo malè est meo.
S. IO. Lachrymas fili mitte, ac potius quod ad hanc
Est rem, porrò audias. Bono animo sis modò. (opus

AGAPE.

AGAPE. Quid tandem credis animi esse misero mihi?
S.IOAN. Animum recipe fili, ac spera in natum Dei.
AGA. Pudet, neq; quid agam, neq; quid respondeam
Huic scio. Vita in dubium uenit mea.
S.IOAN. Ah minimè gentium. Nam peccatoribus
Christus, non iustis uenerat, missus ad oues
Deperditas. Gaudent in cœlis Angeli
Super uno peccatore resipiscente iam
Et agente pœnitentiam, magis quidem
Quàm nonaginta nouem super iustis uiris,
Qui, nempe, pœnitentia non indigent.
AGA. Ah miserum me, quid feci, qui Deum meum
Tam grauiter offendi. Non sum dignus modò
Deperditus ego, Solem conspicere amplius.
S.IOAN. Confide fili, nec animum sic abijce.
Scriptum est. Nolo mortem peccatoris, sed ut
Conuertatur uiuatq; cum Deo suo.
AGAP. At maior est iniquitas, pater, mea,
Quàm ut ueniam merear à Domino Deo meo.
S.IOHA. Bonum habe animum fili, ubi abundauit iniquitas,
Abundabit quoq; gratia. Haud spernit Deus
Clemens, redeuntem filium deperditum.
AGA. Animo meo haud benè est. Ah conscientia,
(Mala bestia, testes mille) me quiescere haud
Sinit, rodit, nec non accusat sedulò,

Iamq;

*Iamq; quidem nil melius esse suadet mihi,*
*Quàm ut desperans, uitam laqueo mox finiam.*
S. IOAN. *Hem fili mi, quid agis? Quid ploras, quid tremis?*
*At te redi, flere sine. Hem, quam rem agas uide.*
*Est desperatione nullum apud Deum*
*Maius peccatum. Misericordiæ Dei*
*Nullus finis, perpetua & est immensitas,*
*Quæ superat omnia eius opera firmiter.*
*Quare, fili, procul absit desperatio,*
*Ne æternæ perditionis fias filius.*
AGAP. Peiore res loco non possunt esse, quàm
*In quo nunc sunt sitæ, pater pijssime.*
S. IOAN. *Hem, mitte istæc, & da te mihi, lachrymas sine,*
*A Christo ego tibi promitto gratiam.*
AGA. *Ludis tu nunc me peccatorem maximum?*
S. IOAN. *Ego te? Quamobrem? Non est mihi res hæc ludicra.*
AGA. *Nescio, nisi quia tam miserè, uerum esse quod*
*Dixisti, cupio miser, eò uereor magis.*
S. IOAN. *Ne uereare, latroni qui pendens in cruce*
*Promisit gratiam, & Paridisi gaudia,*
*Et me sibi indignum uocauit Apostolum,*
*Is te per me nunc reuocat ad consortia*
*Sanctorum, ut sis promissionum particeps*
*Suarum,*

Suarum, & accipias remißionem, age,
Peccatorum omnium, & piæ uitæ dein'
Coronam inflacceßibilem, quam Christus his
Parauit, qui ipsum ex toto corde diligunt.
Exporrige frontem ergo, hodie reparata est salus
Tibi, ut sis hæres uitæ æternæ, apud Deum,
Patrem Domini Iesu Christi, qui uictimam
Se pro nostris dedit peccatis, illius erimus
Cohæredes fratresq; in uita illa altera.
AGAPE. Ah lachrymor gaudio; tam sunt iucunda
quæ
Refers, Apostole Christe. Vtinam consortio
Dignus habear illo, in uita Sanctorum Dei.
Nil ego præsentem nunc uitam curo amplius,
( Qua nec dignus sum ) modò cœli mihi gaudia
Contingant & peccatorum remißio.
Nunc ultro scelerata arma abijcio protinus.
S. IOANNES. Surge, quid ad genua mea, fili, pro-
uolueris?
Quid ingemiscens toties fletibus ululas?
Tuarum uberrimis lachrymarum fontibus
Iterum iam baptisatus es. Quid dexteram
Occultas? Ego iurisiurandi recipio
Tibi sacramento, me sceleribus ueniam
Tuis impetraturum à Saluatore. Quid
Porrò desideras? Nunc deniq; dexteram
Tuam

Tuam mihi porrige, iam per pœnitentiam
Purgatam, quam in nomine Christi deosculor.
Saluatoris ad Ecclesiam redi, sinum
Quæ non claudit redeuntibus. Mecum modò
Tu comprecare Deum & Saluatorem tuum.
Vt clementer tibi debita ignoscat, quibus
Eum offendisti grauiter. Ignoscet tibi,
Quia clemens mitisq;, pius & suauis est.
AGA. Pater, tu potius comprecare Deum. Tibi
Namq; scio certò, quo uir multò melior es
Quàm ego sum, haud negaturum quicquid rogaueris.
S.IOAN. Faciam, uerùm unà te precari conuenit.
Multum etenim ualet assidua iusti oratio.
AGA. At scriptum est, peccatores non audit Deus.
S.IOAN. Cor uerè contritum, non despicit Deus.
AGAPE. Prioris me uitæ pudet atq; pœnitet,
Ex corde & imo pectore malignantium
Vias odi. Discedite à me omnes uiri,
Qui operamini iniquitatem, scrutabor Dei
Mei legem, eiusq; iugo colla subdere
Statui. Seruus fui peccatorum hactenus,
In posterum nunc mundo & carne mortuus,
Christi exhibebo me seruum fidissimum.
Tu me pie Christe respice. Erraui miser,
Sicut ouis quæ perijt. Ah, quid ouis, ex oue
Lupus factus eram, homo omnium spurcissimus

Quæ non claudit redeuntibus. Mecum modò
Tu comprecare Deum & Saluatorem tuum,
Vt clementer tibi debita ignoſcat, quibus
Eum offendiſti grauiter. Ignoſcet tibi,
Quia clemens mitisq́, pius & ſuauis eſt.
AGAPE. Pater, tu potius comprecare Deum. Tibi
Namq́; ſcio certò, quo uir multò melior es
Quàm ego ſum, haud negaturum quicquid rogaueris.
S. IOAN. Faciam, uerum unà te precari conuenit.
Multum etenim ualet aſsidua iuſti oratio.
AGA. At ſcriptum eſt, peccatores non audit Deus.
S. IOAN. Cor uerè contritum, non deſpicit Deus.
AGA. Prioris me uitæ pudet atq́; pœnitet,
Ex corde & imo pectore malignantium
Vias odi. Diſcedite à me omnes uiri,
Qui operamini iniquitatem, ſcrutabor Dei
Mei legem, eiusq́; iugo colla ſubdere
Statui. Seruus fui peccatorum hactenus,
In poſterum nunc mundo & carni mortuus,
Chriſti exhibebo me ſeruum fidiſsimum.
Tu me pie Chriſte reſpice. Erraui miſer,
Sicut ouis quæ perijt. Ah, quid ouis, ex oue
Lupus factus eram, homo omnium ſpurciſsimus
Et ſceleratiſsimus. Ne me à facie tua
Proijcias, ne me redeuntem ad te reſpuas.
Agnoſco ſcelera mea, agnoſco inſuper tuam

*Et sceleratißimus. Ne me à facie tua*
*Proijcias.ne me redeuntem ad te respuas.*
*Agnosco scelera mea,agnosco insuper tuam*
*Iram. Verùm gemitibus imo pectore*
*Deductis,& amarißimo hoc fletu meo,*
*Testor ueram cordis mei contritionem*
*Et pœnitentiam non fictam. Cor igitur*
*Contritum & humiliatum haud despicies Deus.*
*In gratiam me recipe,& spiritum tuum*
*Dona mihi,qui me consoletur & erigat,*
*Greßusq; meos custodiat,ne deuiem*
*Vnquam à mandatorum tuorum semitis.*
*Tibi sed uiuam,quàm diu tu terminum*
*Mihi uitæ in hac mortalitate prorogaueris.*
*Nunc exuo arma peccati & mortis,pio*
*Contaminata sæpe fratrum sanguine.*
*Ah quid feci,quibus offendi Deum modis.*
*Ah Christe Saluator,pudet atq; pœnitet.*
*Miserere,miserere,ignosce agnus ô Dei,*
*Qui latronem in cruce,serò pœnitentiam*
*Agentem tunc,ipse pia consolatus es*
*Voce inquiens,Hodie mecum in Paradiso eris*
*Ne me proijcias à facie tua,*
*Saluator,ne sim similis descendentibus*
*In lacum.Tua prosit mihi sanguinis profusio.*
*In te speraui,non confundar perpetim.*

S.IOAN. Exaudi Christe pœnitentem, ex pectore
Imo ad te suspirantem. Ignosce pro tua
Bonitate, pietate, & magna clementia.
Omnes iniquitates ipsius rogo
Deletas esse uelis precioso sanguine
Tuo, quem fudisti pro peccatoribus,
Me tunc cum Maria matre tua sanctissima,
Sub cruce agonem tuum inspectante flebilem.
Ignosce, inquam, Christe orbis saluator pie,
Ignosce iuueni misero, pro quo nunc meas
Interpono preces, tuum si dilegis
Discipulum. Scio te nil negaturum mihi.
Quin iam surgis fili, ut eamus ad Episcopum,
Bonum illum custodem, cui te commiseram?
AGA. Cilicio porrò & cinere operiar, ac lubens
Te comitabor, modò id absq; periculo queat
Capitis fieri. Namq; ipso facto, miser ego,
In cæsarearum legum pœnas incidi.
At melius est, Dei in manus uenire, quàm
Hominum. Quanquam si Domino de me sumere
Pœnas placet, per diras carnificis manus,
Iacturam malo corporis, quàm animæ meæ
Facere. Nam mortis me reum ipse iudico.
S. IOAN. Dinumerauit Dominus ossa suorum omnia,
Vnum ex illis non conteretur, nec cadet
Capillus de capite nostro, Patris sine

Volun=

*Voluntate æterni. Animum deiectum erige,*
*Ego pro te non desinam intercedere*
*Apud Christum, Mariæ Filium & Dei.*
*Is si pro nobis stat, quis contra nos erit?*
*Verùntamen siue uiuimus, siue morimur,*
*Domini Iesu sumus, nec perdi possumus.*
*Tu me comitare, & Christo commenda uias*
*Tuas, & ipse faciet. Euentum dabit*
*Quoq; cum tentatione, ut poßimus crucem*
*Sufferre, quoniam fidelis est Deus.*
AGA. *Quocunq; uoles comitabor te, atq; si cupis,*
*In mortem. Nil mihi timeo, qui te habeam patrem,*
*Amicum altißimi, & uiuum templum Dei.*
*Virum quem tenui captiuum huc adducite,*
*Vt æs suum recipiat, & liber sit uinculis.*
*Adesdum amice. Hic est Ioannes Apostolus,*
*Qui me conuertit, ut uides, à peßimis,*
*Quas ingressus fueram, uijs. Nunc seruiam*
*Porrò Christo, ueracis Filio Dei,*
*Nec quenquam sanè deinceps ego mortalium*
*Lædam. Et quod feci miser, ex corde pœnitet.*
*Nunc ergo quæ eripui tua, recipe omnia.*
*Quid superest, pauperibus pie erogabitur.*
*Nolo maneat apud me Mammon criminis.*
*Porrò frater & amice, ignosce, te rogo,*
*Propter Iesum Christum, cui lucratus est*

Te & me Sanctus Ioannes Apostolus Dei.
Ignosce inquam frater mihi, uim tibi intuli,
Non hoc merenti, me quod factum pœnitet.
Dein' mihi frater eris longè dilectißimus.
ECHM. O festiuum hunc diem, quo te lucratus est
Apostolus Deo, Princeps charißime.
Lubens tibi ignosco, ignoscat tibi Deus,
Nec eius meminero amplius iniuriæ.
Apostolum audi, liberatorem tuum.
Iuuenis es & iuuenta seductus tua.
Apostolo meo habeo gratiam & tibi.
Laus sit tibi Iesu Christe Dei fili unice.
AGA. Hos ego seduxi confratres scholasticos,
In gratiam quoq; recipe illos, ô pater,
Vt qui fuere scelerum socij, sint quoq;
In Christo gratiæ participes inclytæ,
Ne pereant, quos Christus redemit sanguine.
S.IOAN. Et uos in gratiam recipio, in nomine
Domini Iesu Christi. Agite pœnitentiam.
PHILE. Meritò prouoluimur miseri ad genua tua,
Teq; in nomine Christi precamur ueniam.
Lubentes tua sequemur uestigia, pater,
Tuisq;, discipuli, monitis obtemperabimus.
Seduxit nos uoluptas, meretrix pessima,
Virtutis diuinæ sequemur dein' uias.
S.IOHAN. Surgite, promitto uobis uitam & ueniam.

Omnes mecum fratres ſimul deſcendite.
AGA. Qui uobis dux & author ad malum fui,
Conuerſionis idem exemplis præeo.
Valete nunc ergo, & Chriſtum ſequamini
Ducem, ſi ueſtra uobis modò cordi eſt ſalus.
Vos uerò me comitemini ac Apoſtolum.

## ACTVS V. SCENA VII.

Senarij.

PHILARGIRVS, ANOSIVS, LISTA, Anemerus.

PHIL. Quid iſtuc? quæ res tam repente heri mei
Mores mutauit? Hem quid dicam neſcio.
Quænam tam ſubita eſt iſtæc immutatio?
Satis mirari non queo, factum ex lupo
Dudum uaſtiſsimo, nunc placidiſsimam
Ouem. Deus fortè aliquis ille fuit ſenex,
Qui mentes efferas & corda immitia
Inflectere, & manſueta nouit reddere.
ANO. Mira Metamorphoſis, atq; mira inuerſio.
Vt illum Dij ſenem omnes perdant peſſimum,
Qui nobis ſine ui, noſtrum eripuit Principem.
Nouit fortaſſe faſcinare pectora,
Et hominum mentes incantationibus.
Quod ni ſciſcet, uah quibus illum modis ego

Laceraßem. Sublimem medium arripuißem eum,
Capite in terram statuißem, ut totam spargeret
Viam cerebro. Postremò extinxißem seni
Animam. At id facere me non siuit ars sua,
Verè quæ nobis animum ademerat omnibus.
LIST. Quid faciendum, fratres, porrò nobis erit?
Amißo Principe, hunc montem non poßumus
Habere portum iam amplius, Vereor enim
Ne ueniant ciues, uel uicini Rustici,
Et nos captos uinctosq;, ui hinc secum extrahant,
Rotisq; dira morte necatos alligent.
ANEME. Ego sanè postremus non inueniar hic.
Capiemur enim omnes, si hic hærebimus diu.
PHILAR. Vale dicam uobis, uitæ & aliud genus
Amplectar, atq; senis admonitionibus,
Deo auspice, acquiescam, ceßare à malo
Finemq; peccatis imponere, ac ea
Porrò odiße ferunt eße pœnitentiam
Quàm maximam. Sed hoc uidetur optimum,
Vt si quis fortè captus ex consortio hoc
Nostro, & subiectus fuerit quæstionibus,
Ne prodat is, qui fuerint socij criminum,
Sed potius se membratim discerpi sinat,
Quàm ut quenquam denotet. Quod si placet omnibus.

*Vobis, nos cautione iuratoria*
*Confœderemus & ligemus inuicem.*

LISTA. *Placet utiq;, bonum est consilium & laudabile.*

PHIL. *Promittitis iurisiurandi istuc loco?*

ANE. *Promittimus iurantes nobis inuicem.*

PHILARGI. *Seruate fœdera. Suam unusquisq; auferat*
*Partem prædæ acceptam, cum pace & gaudio.*

ANEME. Ego hercule sum, quàm eram, nunc factus ditior.

LISTA. *Bonam prædam nactus sum. Iro ante egentior.*

ANOSI. *Tumet crumena. Tantam uim auri quomodo*
*Tandem consumam?* Noctes & dies ero
*Dein' ebrius. Quin' tu iam pulsas tympanum.*
*Nam oportet semper lætos esse milites.*

PHIL. *Læti ergo sic descendamus de monte, quod*
*Fœlix sit.* Nos si placuimus, uos plaudite.

## Epilogus. Senarij.

V*Idistis actionem ludicram, optimi*
*Spectatores, de corruptela floridæ*
*Iuuentutis.* Et è contra, quid posit bona &

Recta institutio. Vidistis arduum
Corruptionis exemplum. Vidistis & 
Contrà, Conuersionis non minus inclytum
Specimen, quæ faciunt ad pietatem singula.
Porrò, ne expectetis dum rursus exeant,
Intus iuuenes reformabuntur, intus & 
Fient orationes. Milites quoq;
Intus commessabuntur strenuè, ut digerant
Quam nacti sunt prædam. Sic gaudet quilibet
In genere suo. Sed uerè gaudet, qui in Deo
Gaudet, lætatur, & exultans tripudiat.
Epicureorum sunt namq; momentanea, & 
Non solida gaudia: Sed beatus populus est,
Qui nouit iubilationem spiritus,
In qua bonos omnes ualere iubebimus.

## Soli Deo sit gloria.

### In Maleuolum osorem, Autor.

Pone supercilium, lector Nasute, quid autem
  In risum rictus diffluit iste tuus?
Mordaces acuis cur inscie Zoile dentes,
  Vt laceres Musas sanguinolente meas?
At mihi non parces, qui magnis parcere nescis
  Vatibus, ingenij proditione tui.
Quid facies aliud sed tu peruerse Menalca?
  Edoctus non es dicere posse benè.

En pro-

*En proſcinde, ſatis donec tibi feceris ipſe,*
*Ingenium noui nam male ſane tuum.*

Paulus Kolzemus à Demmin
*Pomeranus.*

*Hinc uos ite procul Gritici, procul ite proterui,*
*Et quorum pectus craſſa Minerua tenet.*
*Vos etenim ſat erit Græcis ridere Calendis,*
*Cumq́; aſinus pulſat plectra canora lyræ.*
*Non faciles riſus, Mileſia dicta, lepores,*
*Fabula, ſcomma, ſales, uos ioca grata iuuant.*
*Sicut Democriti riſus non laudo perennes,*
*Heraclitum à lachrymis ſic reprehendo ſuis.*
*Inter perpetuos riſus fletusq́; perennes,*
*Virtutis medius dicitur eſſe locus.*
*Vir grauis interdum ſolet arte remittere frontem,*
*Et dulces hilari uoce referre ſales.*
*Vultum terrificus non ſeruat Iuppiter unum,*
*Molliter interdum ridet Apollo bonus.*
*Non unam ſemper faciem gerit æthera cœli,*
*Nec niue perpetuò terra ſepulta iacet.*
*Nec uultum ſemper retinebit uir bonus unum,*
*Temporibus uitam commodat ipſe ſuam.*
*Ergo age iudicio, ſi uir bonus es, benè doctus,*
*Vtere non triſti. Candor ubiq; placet.*

In ſordidum & auarum, liberalioris do-
*ctrinæ oſorem. Idem.*

Quid te huc aduolis, sus cœno fœde uolutus,
Spernere Musarum qui pia sacra soles?
Nam te delectat studium magis utile nummi
Semper, & ingluuies sordida auaritiæ.
Omnes conatus, studia omnia dirigis illuc,
Vt sis nummosus, sicq; beatus eas.
Quid tibi cum Musis sacrisq; sororibus esset,
Salsè qui solitus dicere semper eras?
Tantum quisq; ualet, quantum tenet æris in arca,
Si desint nummi, Plato nec ipse placet.
Ergo tuum sectare deum, plutone beatus,
Instigat qui te sordida lucra sequi.

Ad optimum atq; doctissimum uirum D. Hermannū Heucken, Ciuem Bremensem, Poëtam excellentem, suum quasi fratrem dilectum amicum, Henricus Knaust, εὐπράττειν.

INgenuè fateor, mi Hermanne, sodalis amice,
Quem diligo hac anima magis,
Et tibi pars quædam debetur Dramatis huius,
In publicum quod edimus.
Tunc etenim cum nos socialis iungeret ardor,
Bremæ celebri in oppido,
Exiretq; dies propè nullus, quo mihi tecum
Fandi haud daretur copia

De stu-

*De studijs nostris, & consuetudine quondam*
*Contracta omnis, iuuenilibus,*
*Tunc, inquam, cum nos fallendi temporis actu,*
*Illud Eobani lusimus,*
*( In foribus stantes Musarum, quid sit amantes,*
*Nantes gigantes & alia. )*
*Hoc ego cudebam mihi, rara per ocia, Drama,*
*Quo delectabar carmine.*
*Iudiciumq́; tuum memini, cum copia fortè*
*Tibi daretur Dramatis.*
*At cum non possem, per multa negocia, cœptum*
*Finire opus Brema in inclyta.*
*Iam tandem sedes per diuûm dona quietas*
*Nactus, telam absolui meam.*
*Hanc tibi lustrandam mitto, quasi frater amice,*
*Et adserendam à maleuolis,*
*Scilicet indoctis. Doctorum nam mihi parcet*
*Candor simulq́; humanitas.*
*Nestoreos ualeas annos cum coniuge casta,*
*Et dulcibus cum liberis.*
*Viue memor nostri, fœlicibus utere fatis,*
*Musis beatior tuis,*

IN DEPICTAM IMAGINEM CVIVS-
*dam amici, per prosopopœam descriptio, ad*
*eundem D. Hermannum Heuconem.*

*Illius &*

Illius & mitto descriptam carmine uitam,
  Vxoris ac simul suæ,
Quem nosti à multis annis, & semper amicum
  Tibi probasti maximum.
Accipe & incultum iusto fer carmen amore,
  Et me uicißim dilige.

Prosopopœa.

Bis tria cum uitæ numerarem lustra, duobus
  Adde duos annos, corpore talis eram.
Sacrarum legum studijs addictus ab annis,
  Queis nondum tegeret prima lanugo genas,
Inuida me curis sors inuoluebat Ephebum,
  Cum libuit uita liberiore frui.
Marchia quæ multos diuino munere pisces,
  Fœta Sprea & Viadro, fert benè culta solo,
Rectorem iuuenum me qui moderarer habenas,
  Tunc iuuenem, cui erat prima lanugo, uocat.
Luxurians animus quo res uxoria cordi
  Sit suadet, monstrat mox Cytheræa uiam.
Monstrantem sequitur iuuenis lasciuia prima,
  Et uenit in thalamos pulchra puella meos.
En tua Christophori à Pfundstein mihi filia, uenit,
  Doctor & antiquæ nobilitatis eques.
Dein' binam parit illa mihi prolem, atq; parentem
  Efficit, & sexu gaudet uterq; pari.
Magnapolim hinc dũ me sequeris dulcißima coniunx,

Henrici

Henrici ſenis ut nos alat aula Ducis,
Aulica uix fueras tres menſes, tabida cum te
Corripuit peſtis, quæ inficiebat agros.
Peſtifera illa lues te totam infecerat, inde
Amplexu moreris coniugis ipſa tui.
Principis Henrici poſt chari fata, uocatus
Aulas ingredior Dux Pomerane tuas,
Efficiorq; ſimul Demmini Syndicus urbis,
Sunt ubi conſcrtpti nobilitate patres.
Nec dum hic oſtendunt ſedes mihi fata quietas,
Euocor in patriam matris at ipſe prece.
Illa iterum intentat tædas thalamumq; iugalem,
Sed fruſtra. Verbis hæc referoq; meis.
Agnoſco ueteris, mater, ueſtigia flammæ,
Flagrat & in iuuenis ſanguine blanda Venus.
Poſtquam at primus amor deceptum morte fefellit,
Immotum & fixum mente animoq; ſedet,
Ne cui me uinclo cupiam ſociare iugali,
Sed uiuam cœlebs cum pietate Deo.
Illa meos primo quæ ſe mihi iunxit, amores
Abſtulit, atq; animis indita ſola ſedet.
Abſtulit, illa habeat ſecum ſeruetq; ſepulchro,
Hinc ego te uita cœlibe Chriſte colam.
Chara ſinum mater lachrymis impleuit abortis,
Et ſpem deponit, quæ fuit ante, thori.
Verùm nec patria datur ecce quieſcere terra,

Inq; tu-

Inq; tuum cedo fertile Brema solum,
Metropolis factus communis Syndicus, omnes
Quæ tangunt tractans ore styloq; uices.
Dein sequar ipse lubens quo fata trahunt retrahuntq;
Alea nec uitæ noxia quæuis erit.
Fortè ubi fata mihi tranquillas condere sedes
Concedent, aliquo credo erit ipse loco.
Annis dum nondum premimur, nos fata uolutent,
In senio at sedes da mihi Christe bonas:
Vt te collaudem, quo sim uas utile, grates
Dicendo. Me igitur nate tuere Dei.

## IN IMAGINEM VXORIS EIVSDEM piè defunctæ.

HAnc mihi consortem thalami iuuenilib. annis,
Cum nondum tegeret florida barba genas,
Conscia cum nondũ curarum pectora, nondũ
Turbida mens rerum perditione foret.
In flore ætatis mihi fata dedere puellam,
In flore ætatis eripuere datam.
Lustrum, non ultra, concessum est uiuere amatæ,
Coniugis amplexu pignoribus nè frui.
Orbatus charæ coniunx ego coniugis ore,
Sum miser, & panes usq; doloris edo.
Illa meos primo flagrantes cæpit amores,
Abstulit, illa habeat seruet & illa sibi.

Tu me